


PALAESTRA LATINA



ANN. XXXVII (Fasc. III) - N. 199

M. SEPTEMBRI - A. MCMLXVII

PALAESTRA LATINA

Trimestres litterarum latinarum commentarii CAESARAUGUSTAE edendi

PRETIUM MITTATUR OPORTET AD ADMINISTRATOREM:

San Antonio M.^a Claret, 37 - ZARAGOZA

vel ad Procuratores singularum nationum

Scripta ad Moderatorem: P. M. Molinam, C. M. F. - ALAGON (Zaragoza)

Constat in Hispania et America Hispanica: 80 pesetis; in Gallia: 10 francis; in Italia: 1.200 libellis; in Germania: 8 marcis; in Anglia: 15 solidis; in reliquis civitatibus, 2 dollaribus

Depósito legal Z. 191.-1966

Editur Ordinarii et Superiorum permissu

I N D E X

ANN. XXXVII (Fasc. III) - N. 199

M. SEPTEMBRI - A. MCMLXVII

J. JIMÉNEZ, C. M. F., <i>De Senecae doctrina atque momento</i>	99
J. MORABITO, <i>Psittaci colloquentes</i>	111
A. ORTH, <i>De Strabone</i>	117
J. MARINELLI, <i>De re cosmonautica</i>	125
RISUM TENEATIS, G. Aiquel, J. Alonso, M. Molina, H. H. Huxley, A. Licciardi	130
V. D'AGOSTINO, <i>Praeceptor juvenes discipulos festive alloquitur</i> ...	133
BIBLIOGRAPHIA, Mir, Latorre	134

PALAESTRA LATINA

LITTERARUM LATINARUM COMMENTARIUM

A SOCIIS CLARETIANIS EDITI

ANN. XXXVII (FASC. III) — N. 199

M. SEPTEMBRI

A. MCMLXVII

DE SENECAE DOCTRINA ATQUE MOMENTO

In prioribus commentariis egimus de vita atque de scriptis Senecae philosophi, qui morum integritate, mira sapientia, labore impiger, tam in prospera quam in adversa fortuna aequo animo sese praebuit, ut nobis exemplar sit et incitamentum ad exercitium omnium virtutum et ad sapientiam persequendam. Jam igitur, priusquam de influxu et de momento Senecae philosophi breviter disseramus, quid ipse de veritate, de fortitudine, de natura, de moribus, de corporis imperio, de litterarum studiis, ceterisque virtutibus senserit, videamus, ejus opera scripta effuso cursu perquirendo. Duplex ergo argumentum in hac ultima parte de Senecae vita et doctrina: primum de Senecae sententiis, deinde de Senecae influxu atque momento.

I. DE SENECAE SENTENTIIS

Difficile sane est paucis Senecae doctrinam absolvere aut sententias praecipuas colligere; fuit enim Seneca sententiarum optimus insculptor et magister. Ea tantum ergo colligam, quae in ejus scriptis, praesertim in Epistulis ad Lucilium, maxime splendent, quaeque nobis magis ipsius Senecae mentem luculentius aperiant. Ipsius Senecae verbis fere utar, ne longius quam par est haec disquisitio protrahatur.

Atque imprimis Seneca se veri et boni sectatorem profitetur. Agit quoque de cultu virtutum, de pietate erga deos, de fortitudine, de paupertate cet. Sed ipsum, quid de his rebus dicat, audiamus:

• 1. *De veritate*

«Quod verum est, meum est»¹.

2. *De bonitate*

«Proponamus oportet finem summi boni, ad quem nitamur, ad quem omne factum nostrum dictumque respiciat, veluti navigantibus ad aliquod sidus dirigendus est cursus»².

3. *De cultu virtutum*

«Cogito mecum, quam multi corpora exerceant, ingenia quam pauci; quantus ad spectaculum non fidele et lusorium fiat concursus, quanta sit circa artes bonas sollicitudo; quam imbecilli animo sint, quorum lacertos umerosque miramur»³.

4. *Naturam sequi debemus*

«Ideo, Lucili, tenenda nobis via est, quam natura praescripsit nec ab illa declinandum: illam sequentibus omnia facilia, expedita sunt: contra illam nitentibus non alia via est quam contra aquam remigantibus»⁴.

«Optimum est pati, quod emendare non possis, et deum, quo auctore cuncta proveniunt, sine murmuratione comitari: malus miles est qui imperatorem gemens sequitur»⁵.

«Ducunt volentem fata, nolentem trahunt»⁶.

5. *Intra se vivere*

«Quaecumque te abdideris, mala humana circumstrepent. Multa extra sunt, quae circumeunt nos, quo aut fallant aut urgeant; multa intus, quae in media solitudine exaestuant. Philosophia circumdanda est, inexpugnabilis murus, quem fortuna multis machinis lacessi-

1. SEN., *Epist.*, 12, 11.

2. SEN., *Epist.*, 95, 45.

3. SEN., *Epist.*, 80, 2.

4. SEN., *Epist.*, 122, 19.

5. SEN., *Epist.*, 107, 9.

6. SEN., *Epist.*, 107, 11.

tum non transit. In insuperabili loco stat animus, qui externa deseruit, et arce se sua vindicat: infra illum omne telum cadit»⁷.

«Animum enim cogo sibi intentum esse, nec avocari ad externa: omnia licet foris resonent, dum intus nihil tumultus sit»⁸.

6. *De Dei praesentia*

«Sic certe vivendum est, tamquam in conspectu vivamus; sic cogitandum, tamquam aliquis in pectus intimum introspicere possit; et potest. Quid enim prodest ab homine aliquid esse secretum? Nihil deo clausum est. Interest animis nostris et cogitationibus mediis intervenit; sic intervenit, dico, tamquam aliquando discedat»⁹.

«Non sunt ad caelum elevandae manus nec exorandus aedituus, ut nos ad aurem simulacri, quasi magis exaudiri possimus, admittat; prope est a te deus, tecum est, intus est. Ita dico, Lucili: sacer intra nos spiritus sedet, malorum bonorumque observator et custos: hic prout a nobis tractatus est, ita nos ipse tractat. Bonus vero vir sine deo nemo est»¹⁰.

«Virum bonum concedas necesse est summae pietatis erga deos esse. Itaque quidquid illi accidit, aequo animo sustinebit; sciet enim id accidisse lege divina, qua universa procedunt»¹¹.

7. *Non diu sed bene vivere oportet*

«Quam bene vivas refert, non quam diu; saepe autem in hoc est bene, ne diu»¹².

«Nemo quam bene vivat, sed quam diu curat»¹³.

«Doce non esse positum bonum vitae in spatio ejus, sed in usu; posse fieri, immo saepissime fieri, ut qui diu vixit, parum vixerit»¹⁴.

«Non enim vivere bonum retinendum est, sed bene vivere»¹⁵.

«Non ut diu vivamus curandum est, sed ut satis; nam ut diu vivas, fato opus est; ut satis, animo. Longa est vita, si plena est; impletur autem, cum animus sibi bonum suum reddidit et ad se potestatem

7. SEN., *Epist.*, 82, 4.

8. SEN., *Epist.*, 56, 5; cf. J. CAMPOS, *La inmortalidad en Séneca a través de los psicónimos*, in «Helmantica», 16, 1965, 291-318.

9. SEN., *Epist.*, 83, 1.

10. SEN., *Epist.*, 41, 1-2.

11. SEN., *Epist.*, 76, 23.

12. SEN., *Epist.*, 91, 15.

13. SEN., *Epist.*, 22, 17.

14. SEN., *Epist.*, 49, 4.

15. SEN., *Epist.*, 71, 4.

sui transtulit. Quid illum octoginta anni juvant per inertiam exacti? Non vixit iste, sed in vita moratus est, nec sero mortuus est, sed diu... Actu vitam metamus, non tempore»¹⁶.

8. *Quid de tempore sentiendum*

«Omnia, Lucili, aliena sunt; tempus tantum nostrum est»¹⁷.

«Punctum est quod vivimus et adhuc puncto minus; sed et hoc minimum specie quadam longioris spatii natura derisit; alius ex hoc infantiam fecit, aliud pueritiam, aliud adulescentiam, aliud inclinationem quandam ab adulescentia ad senectutem, alius ipsam senectutem»¹⁸.

«Punctum est quod vivimus... Eo magis itaque indignos aliquos ex hoc tempore, quod sufficere ne ad necessaria quidem potest, etiam si custoditum diligentissime fuerit, in supervacanea majorem partem erogare»¹⁹.

«Non tam benignum ac liberale tempus natura nobis dedit, ut aliquid ex illo vacet perdere. Et vide, quam multa etiam diligentissimis pereant: aliud valetudo sua cuique abstulit, aliud suorum; aliud necessaria negotia, aliud publica occupaverunt; vitam nobiscum dividit somnus. Ex hoc tempore tam angusto et rapido et nos aufe-
rente, quid juvat majorem partem mittere in vanum?»²⁰.

«Cottidie enim propius ab ultimo stamus, et illo, unde nobis cadendum est, hora nos omnis impellit»²¹.

9. *Quid vero de morte*

«Cottidie morimur; cottidie enim demitur aliqua pars vitae et tunc quoque, cum crescimus, vita decrescit»²².

«Ante ad mortem quam ad vitam praeparandi sumus. Satis instructa vita est...; ut satis vixerimus, nec anni nec dies facient, sed animus. Vixi, Lucili carissime, quantum satis erat: mortem plenus exspecto»²³.

16. SEN., *Epist.*, 93, 24.

17. SEN., *Epist.*, 1, 3.

18. SEN., *Epist.*, 49, 3.

19. SEN., *Epist.*, 49, 5.

20. SEN.; *Epist.*, 117, 32.

21. SEN., *Epist.*, 120, 19.

22. SEN., *Epist.*, 24, 20.

23. SEN., *Epist.*, 61, 4.

«Ago gratias senectuti, quod me lectulo affixit; quidni gratias hoc nomine agam...? Cum libellis mihi plurimus sermo esset»²⁴.

10. *De sapientia*

«Tutus est sapiens, nec ulla affici aut injuria aut contumelia potest»²⁵.

«Omnia mecum sunt»²⁶.

«...dicam, inter sapientiam et philosophiam quid intersit. Sapientia perfectum bonum est mentis humanae; philosophia sapientiae amor et affectio: haec eo tendit, quo illa pervenit»²⁷.

11. *De fortitudine*

«Non est vir fortis ac strenuus qui laborem fugit, nisi crescit illi animus ipsa rerum difficultate»²⁸.

«Generosos animos labor nutrit»²⁹.

«Quamlibet viam jumenta patiuntur, quorum durata in aspero ungula est; in molli palustrique pascuo saginata cito subteruntur. Et fortior miles ex confragoso venit; segnus est urbanus et verna. Nullum laborem recusant manus, quae ad arma ab aratro transferuntur; in primo deficit pulvere ille uncius et nitidus. Severior loci disciplina firmat ingenium aptumque magnis conatibus reddit»³⁰.

«Magna pars est profectus velle proficere»³¹.

«Magni animi est magna contemnere ac mediocria malle quam nimia»³².

«Nemo potest valde dolere et diu; sic nos amantissima nostri natura disposuit, ut dolorem aut tolerabilem aut brevem faceret»³³.

«Ipse te interroga, si quis potestatem tibi deus faciat, utrum velis vivere in macello an in castris. Atque vivere, Lucili, militare est»³⁴.

«Plus dolet quam necese est, qui ante dolet quam necesse est»³⁵.

24. SEN., *Epist.*, 67, 2.

25. SEN., *De constantia*, 2, 4.

26. SEN., *De constantia*, 5, 6.

27. SEN., *Epist.*, 89, 4.

28. SEN., *Epist.*, 22, 7.

29. SEN., *Epist.*, 31, 4.

30. SEN., *Epist.*, 51, 10-11.

31. SEN., *Epist.*, 71, 36.

32. SEN., *Epist.*, 39, 4.

33. SEN., *Epist.*, 78, 7.

34. SEN., *Epist.*, 96, 5.

35. SEN., *Epist.*, 98, 8.

«Hi sunt, qui nobis objiciunt nimium rigorem et infamant praecepta nostra duritiae, quod dicamus dolorem aut admittendum in animum non esse aut cito expellendum»³⁶.

12. *De animi laetitia*

«Hoc ante omnia fac, mi Lucili: disce gaudere»³⁷.

De dolore haec habet: «levis es, si ferre possum; brevis es, si ferre non possum»³⁸.

«Sola virtus praestat gaudium perpetuum securum»³⁹.

«Gaudium hoc non nascitur nisi ex virtutum conscientia; non potest gaudere nisi fortis, nisi justus, nisi temperatus»⁴⁰.

13. *De corporis imperio et castigatione*

«Fateor insitam esse nobis corporis nostri caritatem; fateor nos hujus genere tutelam. Non nego indulgendum illi, serviendum nego: multis enim serviet qui corpori servit... Sic gerere nos debemus, non tamquam propter corpus vivere debeamus, sed tamquam non possimus sine corpore»⁴¹.

«Minimum exercitationi corporis datum, et hoc nomine ago gratias senectuti... Dormio minimum: consuetudinem meam nosti, brevissimo sommo utor et quasi interrumpo. Satis est mihi vigilare desisse»⁴².

«De prandio nihil detrahi potuit: paratum fuit non magis hora, nusquam sine caricis, numquam sine pugillaribus: illae, si panem habeo, pro pulmentario sunt, si non habeo, pro pane»⁴³.

«Major sum et ad majora natus sum, quam ut mancipium sim mei corporis»⁴⁴.

36. SEN., *Epist.*, 99, 26.

37. SEN., *Epist.*, 23, 1.

38. SEN., *Epist.*, 24, 14.

39. SEN., *Epist.*, 27, 3.

40. SEN., *Epist.*, 59, 16.

41. SEN., *Epist.*, 14, 1.

42. SEN., *Epist.*, 83, 3-6.

43. SEN., *Epist.*, 87, 3.

44. SEN., *Epist.*, 65, 21; I. ROCA, *Humanismo de Séneca e ideal cristiano*, in «Helmantica», 16, 1965, 357-384.

14. *De paupertate seu de divitiis despiciendis*

«Nemo cum sarcinis enatat»⁴⁵.

«Contemnere aliquis omnia potest, omnia habere nemo potest... Brevissima ad divitias per contemptum divitiarum via est»⁴⁶.

«Potest ex casa vir magnus exire, potest et ex deformi humilique corpusculo formosus animus et magnus»⁴⁷.

15. *Alteri vivas oportet*

«Non potest quisquam beate degere, qui se tantum intuetur, qui omnia ad utilitates suas convertit: alteri vivas oportet, si vis tibi vivere»⁴⁸.

«Recede in te ipse, quantum potes; cum his versare qui te meliorem facturi sunt, illos admitte quos tu potest facere meliores: mutuo ista fiunt, et homines, dum docent, discunt»⁴⁹.

16. *De servis quid senserit*

«Libenter ex his, qui ad te veniunt, cognovi familiariter te cum servis tuis vivere: hoc prudentiam tuam, hoc eruditionem decet. Servi sunt, immo homines. Servi sunt, immo contubernales. Servi sunt, immo humiles amici. Servi sunt, immo conservi... Itaque rideo istos, qui turpe existimant cum servo suo cenare... Proverbium jacatur, totidem hostes esse quot servos; non habemus illos hostes, sed facimus»⁵⁰.

«Haec tamen praecepti mei summa est: sic cum inferiore vivas, quemadmodum tecum superiorem velis vivere»⁵¹.

«Vis tu cogitare istum, quem servum tuum vocas, ex iisdem seminibus ortum, eodem frui caelo, aequae spirare, aequae vivere, aequae mori»⁵².

45. SEN., *Epist.*, 22, 12.

46. SEN., *Epist.*, 62, 3.

47. SEN., *Epist.*, 63, 3.

48. SEN., *Epist.*, 48, 2.

49. SEN., *Epist.*, 7, 8.

50. SEN., *Epist.*, 47, 1-5.

51. SEN., *Epist.*, 47, 11.

52. SEN., *Epist.*, 47, 10.

17. *De humana institutione et litterarum studio*

«Non scholae, sed vitae discimus»⁵³.

«Aliquis vir bonus nobis deligendus est ac semper ante oculos habendus, ut sic tamquam illo spectante vivamus et omnia tamquam illo vidente faciamus»⁵⁴.

«Numquam nimis dicitur, quod numquam satis discitur»⁵⁵.

«Quemadmodum flamma surgit in rectum, jacere ac deprimi non potest, non magis quam quiescere; ita noster animus in motu est, eo mobilior et actuosior, quo vehementior fuerit»⁵⁶.

«Tandiu discendum est, quandiu nescias; si proverbio credimus, quandiu vivas»⁵⁷.

«Velle non discitur»⁵⁸.

«Cogita, quantum nobis exempla bona prossint; scies magnorum virorum non minus praesentiam esse utilem quam memoriam»⁵⁹.

«Quemadmodum omnium rerum, sic litterarum quoque intemperantia laboramus: non vitae, sed scholae discimus»⁶⁰.

18. *De ratione scribendi et stilo*

«Quae veritati operam dat oratio, incomposita esse debet et simplex»⁶¹.

«Minus tibi accuratas a me epistulas mitti quaereris. Quis enim accurate loquitur, nisi qui vult putide loqui? Qualis sermo meus esset, si una desideremus aut ambularem, illaboratus et facilis, tales esse epistulas meas volo, quae nihil habent arcessitum nec fictum»⁶².

53. SEN., *Epist.*, 106, 12.

54. SEN., *Epist.*, 11, 8.

55. SEN., *Epist.*, 27, 9.

56. SEN., *Epist.*, 39, 3; cf. J. CAMPOS, *La educación de la conciencia en Séneca*, in «Helmantica», 16, 1965, 399-428.

57. SEN., *Epist.*, 76, 3

58. SEN., *Epist.*, 81, 14.

59. SEN., *Epist.*, 102, 30.

60. SEN., *Epist.*, 106, 12.

61. SEN., *Epist.*, 40, 4; J. OROZ, *Séneca y el estilo nuevo*, in «Helmantica», 16, 1965, 319-356.

62. SEN., *Epist.*, 75, 1.

«Haec sit propositi nostri summa: quod sentimus loquamur, quod loquimur sentiamus: concordet sermo cum vita»⁶³.

«Oratio certam regulam non habet»⁶⁴.

VIII. SENECAE FAMA ATQUE MOMENTUM

Magna fuit et firma Senecae philosophi gloria ejusque decursu temporum influxus et adjumentum. XIX saeculo post ab ejus caede, nunc magis in dies claret⁶⁵. Non defuerunt sane qui ejus nomen decusque obscurare voluerint: ita, exempli gratia, Fronto⁶⁶, Aulus Gellius⁶⁷, Dio Cassius⁶⁸, qui non semper de eo recte judicarunt; immo ipse Quintilianus purgare se intendit ab objurgatione in eum admissa tamquam inimicum Senecae, cum ait:

«Ex industria Senecam in omni genere eloquentiae distuli propter vulgatam falso de me opinionem, qua damnare eum et invisum quoque habere sum creditus»⁶⁹.

Sed maxima pars scriptorum —tam antiquorum quam recentium— eum magnis prosecuti sunt laudibus et semel iterumque laudant. Pleni sunt libri, plenae sunt scholae, plenae bibliothecae praeconiis Cordubensis scriptoris. Ipsius vitae exempla et doctrina omnibus nota sunt et ubique terrarum celebrantur.

Jam prius attulimus Taciti, Martialis, Juvenalis et ipsius Quintiliani testimonia clariora; sed alii scriptores eum etiam laudant. Columella «virum excellentis ingenii ac doctrinae» eum vocat⁷⁰. Quintilianus haec de eo verba sine ambagibus profert:

«Tractavit etiam omnem fere studiorum materiam. Nam et orationes ejus et poemata et epistolae et dialogi feruntur. In Philosophia parum diligens, egregius tamen vitiorum insectator fuit. Multae in eo claraeque sententiae, multa etiam morum gratia legenda»⁷¹.

63. SEN., *Epist.*, 75, 4.

64. SEN., *Epist.*, 113, 13; cf. BOURGERY, A., *Seneca prosateur. Études littéraires et grammaticales*, Paris, 1922; PITTET, A., *Vocabulaire philosophique de Sénèque*, Paris, 1937.

65. PAUL FAIDER, *Études sur Sénèque*. Gand, 1921; A. BOURGERY, *Sénèque prosateur*, Paris, «Les Belles Lettres», 1922; PIERRE GRIMAL, *Sénèque, sa vie, son oeuvre, sa philosophie*, Paris, 1948.

66. *Frontonis opera*, edit., Naber, pp. 155-156.

67. AUL. GELL., *Noctes Atticae*, 12, 2.

68. DION. CASSII, 59, 19, 7.

69. QUINT., 10, 1, 123.

70. COLUM., *De re rust.*, 3, 3.

71. QUINT., 10, 1, 129.

Quae cum ita sint, jure christiani scriptores fere omnes de Seneca optime senserunt et judicarunt. Tertulianus eum —ut jam prius dixi— «nostrum» ore rotundo appellat ⁷². Lactantius eum habet ut «philosophiae principem» ⁷³ et «omnium stoicorum accuratissimum» ⁷⁴, eum deinde in omni re magistrum praedicat:

«Qui volet —inquit— scire omnia, Senecae libros in manu sumat, qui morum vitiorumque et descriptor verissimus et insectator acerrimus tuit» ⁷⁵.

De eo denique ipse Lactantius haec memoranda verba libenter profert:

«Quid verius dici potuit ab eo qui Deum nosset quam dictum est ab homine verae religionis ignaro...? Potuit esse verus Dei cultor, si quis monstrasset» ⁷⁶.

Minutio quoque Felici, qui Frontoni adversus erat, Seneca noster maxime placuit, a quo sententias quamplurimas hausit, quibus opera sua, illud praecipue cui nomen est «*Octavius*, illustraret et tanti viri auctoritate confirmaret ⁷⁷.

Sanctus Hieronymus «nostrum» iterum vocat Senecam cum Tertuliano, cum de eo dicit:

«Scripserunt Aristoteles et Plutarchus et noster Seneca de matrimonio libros» ⁷⁸.

Sanctus Augustinus nunnula Senecae opera legerat ⁷⁹, ex quibus sententias aliquando sumit ⁸⁰, Faustumque reprehendit quod parum Senecae opera legisset ⁸¹.

Sanctus Bernardus in epistulam ad Eugenium papam verba Senecae mutuatur, ad ejus animum ad aspera levandum et contra difficultates obvenientes firmandum ⁸².

Argumentum de gloria et momento Senecae philosophi prius jam

72. TERT., *De anima*, 20, 1; cf. edit., WALZINK, p. 28, 18.

73. LACT., *Instit. divinae*, 1, 17, 3.

74. LACT., *Instit. divinae*, 2, 8, 23.

75. LACT., *Instit. divinae*, 5, 9, 19.

76. LACT., *Instit. divinae*, 6, 24, 13-14.

77. F. X. BURGER, *Ueber des Verhaeltniss des Minutius Felix zu dem Philosophen Seneca*. Diss. Munich, 1904.

78. HIERON., *Adversus Jovinianum*, 1, 49.

79. AUG., *Confess*, 5, 6, 11.

80. AUG., *De civ. Dei*, 6, 10.

81. AUG., *De civ. Dei*, 5, 6, 11.

82. BERN., *Epist. CCLVI ad Eugenium papam* (PL 182, 463).

alii, et luculenter quidem, explanarunt⁸³; sed opus non est omnia et singula testimonia colligere; haec tantum adjicere satis sit:

Seneca noster ab Abelardo appellatur «summus inter universos philosophos morum aedificator»⁸⁴ et «maximus ille morum philosophus»⁸⁵.

Alanus insulanus, hoc est, civitatis cui nomen est «Lille», eum celebrat his versibus: «More suo Seneca mores ratione monet at Optimus excultor morum mentisque colonus»⁸⁶.

Godofredus Sancti Victoris haec clara verba de Seneca philosopho protulit: «Nostris ut temporibus propius accedam, quid tibi de Senecae documentis dicam? Seneca Lucilio commendavit quaedam, quae vix Evangelio postponenda credam»⁸⁷.

Longior quam optaveram haec disquisitio de Senecae vita et doctrina protracta est, cui tamen non possum finem imponere, nisi prius sententias afferam trium scriptorum majoris momenti, in quibus patet quid ipsi de Seneca nostro senserint.

In primis Justus Lipsius Senecam inter alios commendat, ut, ad eorum imitationem, copia scribendi seu dicendi luxuria paulisper recidatur. En ipsius clarissima verba: «In primis suadeam Sallustium, Senecam, Tacitum et id genus brevium subtiliumque scriptorum jam legi, quorum acuta quasi falce luxuries illa paulisper recidatur»⁸⁸.

Paulus Faider, qui diu Senecae operam dedit, eum cum Vergilio confert, qui semper et ubique apud posteros in magno fuit honore⁸⁹.

Denique Marcellini Menéndez Pelayo iudicium afferamus, viri litterarum classicarum amantissimi, qui de Seneca haec habet: «Nullus est scriptor qui tot pulchras praebeat paginas, tot altas sententias, tot tamque optime inventa consilia; neque ullus, cujus opera

83. P. FAIDER, *Études sur Sénèque*, Gand, 1921; A. COUNSON, *L'influence de Sénèque le philosophe*, «Musée Belge», VII (1903) 132-158; K. D. NOTHPURFT, *Studien zum Einfluss Senecas auf die Philosophie und Theologie des Mittelalters*, Leiden-Köln, 1963; L. D. REYNOLDS, *The Medieval Tradition of Seneca's Letters*, Oxford, 1965.

84. ABELARDUS, epist. VIII (PL 178. 297B).

85. ABELARDUS, epist. XII (PL 178. 380B).

86. ALANUS DE LILLE, *Anticlaudianus*, i. 135-136.

87. GODOFREDUS STI. VICTORIS, *Pons Philosophiae*, edidit P. Michaud-Quantin, «Analecta Mediaevalia Namurcensia», 8, (Namur, 1956), linea 409-412.

88. J. LIPSIUS, *Epistolarum centuriae duae*, Lugduni, 1592.

89. P. FAIDER, *Études sur Sénèque*, Gand, 1921, p. 109: «Sénèque partage avec Virgile, avec d'autres encore —mais à tout prendre, ils ne sont pas très nombreux— l'auguste privilège d'avoir toujours fait partie de la conscience latine».

minus se praebeant ad cursivam quam dicunt lectionem; ubique in eo gemmas invenies, desunt tamen palae quibus insertae sint»⁹⁰.

Quod si haec allata documenta tibi non satis sint, ut hujus tanti viri momentum et gloriam admireris, bibliothecas adeas, ubi tot ab eo vel de eo scripta opera servantur. Indicem inspicias seu catalogum bibliothecae Britannici Musei Londinensis, omnium bibliothecarum quae in Europa sunt facile principis; in eo tituli seu indices eorum tantum operum quae ad Senecam philosophum spectant, quadraginta fere paginas implent⁹¹. Num majoris momenti aliud quaeris argumentum?

JOSEPHUS JIMÉNEZ DELGADO, C. M. F.
In Universitate Salmanticensi Professor.
SALMANTICAE (Salamanca) in Hispania.

90. M. MENÉNDEZ Y PELAYO, *Ideas Estéticas*, Madrid, 1962, 3.^a edic. de *Obras Completas*, vol. I, pág. 205: «No hay escritor de quien puedan entresacarse tantas páginas bellas, tantas sentencias nobles y tantas máximas felices. No hay otro tampoco cuyas obras, en conjunto, resistan menos la prueba de la lectura seguida. Dondequiera se encuentran joyas, fáltales el primor del engarce».

91. *British Museum, General Catalogue of Printed Books*. (Photolithographic edition to 1955), vol. 219, s.v. *Seneca (Lucius Annaeus)*, 33-84, London, 1964.

PSITTACI COLLOQUENTES

Argumentum. Parva parvi psittaci femina, cuamquam splendidam in cavea vitam agebat, illinc occasionem nacta fugit; eo tamen post diem noctemque multis artibus revocata, quid senserit quidque timuerit socio hic narrans inducitur eique socius respondens. Littera F significatur; littera M, alter.

F

Ut mutatus ades! Blando me nuper amore
dulciloquisque tuis, memini, ruptisque loquelis,
care, sequebaris; mihi enim praedulcia verba
numquam cessabas volitans muttire diuque
mos tibi basiolis fuit olim rite fovere
nec mihi displicuit tortum conjungere rostrum
tecum perque jocum rixas iterare loquaces.
Haec fuerunt, video. Cavea nunc solus in arcta.
perstas meque oculis limis spectare videris,
nec bene velle, prius qui talia...

M

Perfida, cur haec
quaeris me objurgans? Memini quae gaudia quaque
furta incendebant nos, oscula, jurgia, rixas,
quae domina illa sedens quandoque videbat ocellis,
dum niveas telas digitis bene pingit acuque.
At nunc irascor tibi. Tot post foedera amoris
ac tot amicitiae conjunctae pignora, mente
qua me crudeli potuisti linquere solum,
vix patuere fores? Antiquas spernere curas
te potuisse, mei atque oblitam, perfida, limen
deserere hoc claustrum, quod vitam utrique tegebat?
Ut te vidi extra meque intus adusque teneri,
si qua te arte sequi fugientem forte liceret,
ferrea conatus duris sum effringere fila
morsibus hinc illinc saliens, tenuesque patellas,

queis domina inclusis fruges apponere et aequor
 nobis mane canens submissa voce solebat,
 vellere tentavi, quo facto tramite possem
 alis te rapidis contingere, teque vocavi
 ne fugeres ignara loci neu linquere dura
 me socium velles detentum in carcere. Frustra!
 Deserere at socium quo me tunc pectore es ausa?
 Quae libertatis rapuit te dira voluptas
 ut tantum auderes, tenuesque perosa penates
 temnere amicitiae munus certosque hymenaeos?
 Avertit quae saga tuos cantamine sensus?
 Quot quantosque animo sum passus, crede, dolores!
 Irascor tibi; nulla fides mihi habenda, jacentque
 omnia rupta mihi, quae jam fundamine firma
 esse putabantur.

F

Veniam (conpesce furorem
 atque iram!) ipsa peto, nec tu praebere petenti
 hanc unquam abnueris. Quotiens, hac, frater, in arcta
 cum cavea essemus, trans tensa repagula ocellos
 converti cupidos lucis, qua cuncta micabant,
 et liquidum caeli celerisque per aera motus!
 Tunc ipse audibas varios quos pectore cantus
 jactarent volucrum prima sub luce cohortes,
 per ramosque fugas, strepitus, luctamina, amores,
 quamque expectarent aurorae lumina primae
 arboris in foliis mussantes undique, quique
 ante salutarent radiosque jubarum cadentis
 solis quam nidis se quisque absconderet aptis.
 Haec ego nonnumquam spectavi ardenter easque
 aere tam puro rebar nimis esse beatas
 et libertatis magno incendebar amore
 angebarque intus. Claro tunc guttore nullos
 heu poteram cantus effundere; tristis et aegra
 ipsa mihi atque tibi quandoque jacere videbar.
 Nescio quo pacto, cum plurima volveret icta
 mens, mihi silvarum patuerunt avia caelumque
 immensum, undarum ventorum murmure rami
 eque solo virgulta udo viridantia passim;
 tranquillis undis ut flumina magna secabant
 utque avium cantus circum sonuere frequentes!
 Illic nulla hominum vestigia forte patebant
 laetaque libertas sua jura tenebat ubique;
 illis majores terra caeloque fruentes

nullis compedibus vinctos quaesisse putabam
pabula et arcanum nemoris peragrasse virentis.
Haec mecum, et tristi, credas, angore premebar.
Cuique nitent libertatis sua praemia, quemque
allicit illius species ut rumpere vincla
audeat et morti numquam se opponere fortem
addubitet. Fila, arcebant quae dura, volebam
frangere ut aethereis fruere fulgoribus atque
tecum una possem peragrarere silentia caeli.
Ut domina incauta reseratam mente fenestram
liquit, qua patuit via, libertatis amore
tacta, statim aufugi: fugienti gaudia lumen
praebuit, at polus ignaram me terruit altus
teque iterum ex patulis ramis iterumque vocavi
perdita, si auxilium ferres.

M

E culmine voces
audieram ipse, quibus me egressa illudere clausum
velle videbaris; totis tum viribus usus
ferrea conatus claustrum subrumpere fila,
ut me cepisset fugiendi caeca voluntas.
Incassum haec studui. Coepi tum voce precari
ne procul aufugeres, verum ad tua tecta redires;
nam satis hinc illinc tenerae, superesse malorum.
Quis tibi praeberet securae pabula? quisnam
lactucae folium viridis suspenderet escam?
in scyphulum quis aquam detersum infunderet? unde
humectare gulam posses, detergere et udas
pennas? Quam timui ne praeda arrepta jaceres!

F

Non procul hinc aberam. Vellentem morsibus usque
ferrea te aspexi casulae hujus claustra, statimque
multum perdolui te deseruisse sodalem.
Subsiliens ad te cupiebam accedere, verum
hinc erat inspicere qui memet in arboris umbra,
illinc qui inspectam repens contingere vellet.
Tunc alio fugi, at quidam puer usque petebat
et catus aversam manibus me prendere pansis
jam conabatur. Tenuit quin forte, sed illi
arripere avulsam licuit tantummodo caudam.
Post tenebrae cecidere nigrae. Puer ille remisit

insidias fatisque meis me tradidit atris.
 Tunc turba alituum in sua deversoria currens
 in foliis latuit. Tua fessa relanguit ipsa
 vox; omnes strepitus sensim tacuere; silebant
 umbrae noctis; eram noctis sic perdita in umbris.
 Tunc desiderio tutae casulae hujus in umbra
 singultim in ramo deflevi sola, sub ala
 et caput involvens mecum suspiria duxi.
 Non sopor ille fuit, quali paulo ante fruebar
 tecum, frater amans; per noctem namque susurros
 audiban ignotos e fuscis surgere campis.
 Hinc haubabatur subter canis impiger, illinc
 rite canis respondebat vigili ore oculisque
 intentis agros peragrabat, falleret ullus
 ne dolus incautum. In caelo quot sidera crevi
 fulgere mirificis formis! Quae murmura rerum
 accepi auscultans noctem volitare per altam!
 Quin ruptum audivi gemitum bubonis et omen,
 qui sua capturus volitabat pabula. Turpis
 noctua complebat loca jam deserta mihique
 heu pavor adstrinxit miserae praecordia, ne quo
 tractus odore mei raperet me corporis hostis,
 unguibus et laniata feris rostroque tenaci
 ingluviem implerem spurcis cum muribus atque
 sordibus. Ut timui, tutam caveamque remorsa
 aerumnis iterum finxi mihi mente meusque
 ante stetit conjunx luctu compressus et ira!
 Tunc certum statui, vix alba aurora, tenebris
 pulsus, in caelo coepisset pandere primum
 lumen, vitassem si tanta pericula, spretis
 muneribus libertatis, mea tecta subire
 atque meam dominam carumque revisere amicum.

M

Numquid me censes fessum potuisse quiete
 more frui et longum cordis deponere fletum,
 essem qui solus, qui tanta pericla viderem
 cingere te, conjunx? Angebant multa soporem
 somnia et optabam lux surgeret alma, liceret
 si voces audire tuas, si victa redires
 ad me. Lux rediit. Vix notae murmura linguae
 auribus accepi, implevi clamoribus aedes
 ut domina ipsa, putans te velle in tuta reverti,
 artibus atque meis variis conatibus intro

te allectam, subito praecluso limine, tandem
incolumem huc trepidis manibus conjecerit. Atqui
quantum opus ut caperet post noctis dura fugamque!
Appositam Cererem tum rostro mandere inanis,
humectare levis lactucae fragmine fauces
optatumque aequor segura haurire... Sodalis
quae tibi cura tui?

F

Mitte objurgare receptam!
Qui quales ventris latratus, haud tibi notum,
semper et ignotum faciat fortuna benigna.
Tu prius hos compesce; licebit quaerere posthac
longe alia.

M

Ut sordes! Caudae jam nulla venustas.

F

Ne dubites, nam quam primum crescet mihi cauda,
fulgebitque nova et majore indulta juvena.
Mox ero quae fueram, dominae nec limina linquam.
Hic semper tecum consumam tempora vitae.
Nostra haec libertas, aedes ornare serenas
et quandoque gula fractos formare canores.

M

At nunc posthabeas, quae nuper amara fuerunt.
Jam sol descendit; circum loca cuncta quiescunt.
Extremum placido solem sermone sequamur.

F

Ut vergente die juvat hic sermonibus uti
tranquillis, dum cuncta optant tranquilla soporem!

M

Oscula junge; caput rostro scabe, cara; tibi ipse
en scabere incipio sensim caput; incipe, sodes.

F

Incipio, caput inde sub ala operire necesse est
atque oculos tutos velamine tradere somno.
Umbræ descendunt; somni jam regna petamus.

JOSEPHUS MORABITO Professor
Via T. Cannizzaro, 206.
MESSANA (Messina) in Italia.

DE STRABONE (64 a. — 23 p. Chr. n.)

Strabo geographus et historicus graecus anno 64 a. Chr. n. Amaseae in oppido Asiae Minoris (Cappadociae) ad mare Pontum sito ex familia nobili natus est; priusquam Romam perveniret, in pluribus urbibus artes liberales didicit; Tarsi, ubi postea Paulus Apostolus literis instituebatur, jam geographus ille celeberrimus optimis scholis utebatur; praeceptores praecipui disciplinam grammaticam eum docuerunt atque philosophiam Stoicam et Peripateticam, cuius doctrinae non pauca vestigia etiam nunc in *Geographia* inveniuntur; Strabonis magister grammaticae fuit Aristodemus ex oppido Nysa (14,1,48) et *Tyrannio* ex urbe Amiso (12,3,16); unus e doctoribus philosophiae fuit *Xenarchus* Seleucia versans Peripateticus (14,5,4); aequales Romani Strabonis Asiani fuerunt poetae Vergilius (70-19 a. Chr. n.) et Horatius (65 a. — 8 p. Chr. n.) praeterea Livius (59 a. — 17 p. Chr. n.) rerum ab Urbe Condita scriptor; *Hyginus* (64 a. — 17 p. Chr. n.) custos bibliothecae Palatinae; Strabo et Livius Augustum principem Corinthi simul adierunt; circa annum 23 p. Chr. n. Strabo imperatore Tiberio (14-37 p. Chr. n.) mortuus videtur esse.

Strabo primo studiis historiae deditus 43 libros scripsit, qui «historica hypomnemata» vocabantur et res gestas post Polybium (c. 201—120 a. Chr. n.) narratas complectebantur; maxime gloria expeditionis Alexandri Magni (336-323) oblectatus est; fortasse hunc regem cum Augusto imperatore (37 a. — 14 p. Chr. n.) in opere historico comparavit, neque abest opinio Strabonem quasi praecursorem Plutarchi (45-120 p. Chr. n.) vitarum parallelarum fuisse; Strabo enim confitetur in historicis commentariis ea sola commemorari, quae sunt illustrium virorum ac vitarum exiguis atque ingloriis rebus hominibusque omis- sis; et illos commentarios composuit utiles ad moralem atque civilem (idest: politicam) philosophiam (1,1,23).

Strabo adductus exemplo Polybii geographiam permagni fecit atque opus quoque proprium de hac disciplina composuit, ubi «*aitiologikós*» et «*aristotelízon*» Strabo ipse mirum in modum cognoscitur et librum amplum vel philosophum confecit, quamquam scholae Stoicae majore voluntate necnon persuasione adhaerebat; permulta iti-

nera fecit, ut suis oculis terras urbesque conspiceret vereque describeret, od quid auctoritate magistratum Romanorum nisus poterat exsequi, quoniam homo nobilissimo loco natus ditissimusque erat atque imperio Romano semper favebat.

Philosophando enim sibi persuasit potentiam ac disciplinam exercituum Romanorum majore firmitate ac stabilitate uti quam omnes reges orientales; duas partes philosophiae potissimum colebat distinguendo ethicam et politicam, quo discrimine se magis ad vitam activam quam speculativam inclinare manifestabat; qua de causa historia et geographia summo jure in scientiis politicis queunt numerari; *Plato* apud *Strabonem* non jam multum valebat, quod ille vir Atheniensis neque ad historiam neque ad geographiam quidquam attribuit neque «realista» fuit; *Aristoteles* autem saepius laudatur, quod re vera magis physicus quam mere sapiens res naturales tetigit; unde merito *Strabo* quoque «*aristotelizon*» potest appellari; sicut *Polybius* sententias *Panaetii Stoici* adamabat, ita *Strabo* *Posidonium* doctissimum Stoicorum sectabatur, qui ipse quoque historias conscripsit et itinera longissima subiit; uterque (*Polybius* et *Strabo*) animo religioso tantopere affectus erat, ut ille Graecus *Fortunae* (=túche), *Asianus* contra fabulis deorum (=mythis) crederet. *Strabo* denique culturam *Augusteam* non labris, sed imo pectore recepit et repraesentavit; *Artem Horatii* (69 a. — 8 p. Chr. n.) Poeticam cognovisse videtur; idem *Asianus* nobilis cum *Seneca* philosopho conferri potest; uterque enim fuit Stoicus, rebus naturalibus et philosophiae naturali operam navans, ultro morali doctrina occupatus, rerum politicarum diligens, consuetudine imperatorum usus, operibus scriptis litterarum memoriae dignissimus, ad *Augusteum* aevum pertinens; *Plinius* (23-79 p. Chr. n.) a quo «*Naturalis Historia*» compilabatur, multas partes geographicas exhibet, quae cum *Strabonis* notitiis propter fontium quaestionem comparari atque disputari possunt.

Strabo cum *Plutarcho* quoque coneciti potest, quod *Asianus* ad initium, *Chaeroneus* ad terminum temporis *Augustei* spectare videtur et utriusque elocutio hellenistica potest judicari; postremo *Strabo* cum *Ammiano Marcellino* jungatur, quia uterque in historiis abunde geographiam adhibuit et *Asianus* *Roman Aeternam* laudavit; etiam *Strabo*, ut erat «*polymathés*» et «*polyhistor*», in illis philosophis numerari potest, qui «*historiae causa*», id est: explorandi gratia, multa et longissima itinera fecerunt, quemadmodum *Thales*, *Pythagoras*,

Democritus, Plato, ceterique; sed Strabo narrationes priorum auctorum inter se comparavit, iudicavit, verisimiliorem doctrinam constituit, testimonia mercatorum et emptorum et auctoritatum militarium peregrinantium postremo adhibuisse videtur; qua de causa opus non perfecit.

Sententiae universales ad extremum in Strabonis «*geographia*» ejusdem prope generis sunt atque illae quae, ut opinor, in ejus quoque «*historia*» prolatae sunt; etenim quilibet fere scriptor rerum sententiis communissimis tamquam conclusione et epiphonemate magnae vocis uti solebat, quae quasi praecepta moralia vitae recte administrandae etiam ad principes juvenes educandos spectabant; ecce jam hoc loco illae sententiae:

Strabonis geographica ediderunt Carolus Mueller et Fridericus Duebner Parisiis (editione Didotiana) 1853.

admirationis vacuitatem... praedicat Democritus ceterique philosophi omnes, quae vicina et cognata est animo intrepido et imperturbato et impavido (1,3,21); omnia *aenigmata* antiquorum diligenter dissolvere non est facile (10,3,22); ad *amicitiam* conducit quidquid a mensarum libationum, domorum communitate proficitur (9,3,5); et in actionibus et in sermonibus multa sunt de eorum genere, quae subito ad *animum* accidunt (12,3,27); oportet ea sequi, quae majore ex parte *approbantur* (8,3,31); *aqua* non sicut terra est solida, sed ipso suae gravitatis momento in terra fertur (1,3,12 fin.); *arma* habentium est aliquando melior condicio, si non vincantur multitudine (2,5,26); hominum *audacia* cum omnia alia tum etiam navigationes non veretur temptare (17,3,20); qui contendit eos solos scire, qui viderint, is *auditus* in iudicando tollit officium, ad scientiam parandam longe visu melius (2,5,11 fin.); apud *barbaros* vi quam facundia plus efficitur (9,2,2); hominem *civilem* non eum vocamus, qui prorsus ineruditus sit, sed qui disciplinae encyclopaedicae et consuetae elementis liberalibus et philosophis institutus sit (1,1,22); haec ipsa novitas rei hominem *cognitionis* cupidum facit (1,2,8); cupidus *cognitionis* est homo (1,2,8); *crepuscula* sunt frigidissima, et quidem vespertinum matutino frigidius, quod nocte appetente frigus intenditur, decedente remittitur (9,2,41); neque enim *dare* multa potest, qui habeat pauca, neque habere multa quisquam, qui accipiat pauca; sed si utrumque jungatur, vicissitudo locum habet (9,2,40); omne quod mentem corrigit, *deis* vicinum esse statuitur (10,3,10); ho-

mines tum maxime *deos* imitantur, cum beneficia conferunt vel potius: cum felices sunt; id autem fit gaudento, dies festos celebrando, philosophando, musicam tractando (10,3,9); quanto majus est id quod *dividitur*, tanto etiam grandiora fieri segmenta par est (2,1,30 fin.); antiqui *divina* in majore honore et veneratione habebant (16,2,38); *divitiae* quoniam invidiae sunt obnoxiae, difficulter custodiuntur, etiamsi sacrae sint (9,3,8); quattuor illa corpora, quae *elementa* vocamus, sphaerica esse traduntur (1,3,12); in minutioribus rebus *errare* contingit non vulgares modo homines, sed etiam eos, qui plus ceteris sapiunt; in multum discriminis habentibus rebus scientior vir non perinde facile aberraverit atque rudis, ideoque doctiori celerius creditur (2,1,8); is, qui modesto modo *eruditus* est, ratione non prorsus potitus consuetudinem a pueritia receptam sequitur (1,2,8); *experientia* etiam difficillima quaeque superat (5,1,6 fin.); grammatici dum *fabellas* adducunt, non tam solvunt quaestiones, quam rationes comminiscendo indulgent (13,1,69); *fabula* est narratio quaedam novarum rerum (1,2,8); *fabula* non ea narrat, quae jam existunt, sed alia a rebus praesentibus diversa (1,2,8); amor *fabularum* aditum ad cognitionem parat (1,2,8); si admirabilia et portentosa *fabulis* admiscuntur, voluptas augetur, quae medicamenti instar amorem

discendi excitat (1,2,8); homines mediocriter instituti similiter (ac rudes) *fabulis* oblectantur (1,2,8); primo *fabularum* fictio, deinde historia rerum gestarum, postremo philosophia ad institutionem puerorum prodiit (1,2,8); *fabulae* finis est voluptas et terror (1,2,17); multa vetusti scriptores perhibent commenticia ob *fabularum* scriptionem adsueti mendacio, quae causa etiam est, cur de iisdem rebus inter se parum eis conveniat (8,3,9); etiam viri, qui vitam agendo agunt, *fabulas* cognoscere student propter earum famam et jucunditatem (1,1,19); homines antiqui sub involucro quas habebant de rebus naturalibus sententias proponebant et disputationibus semper *fabulam* addebant (10,3,22); antiqua falsa et portentosa vocantur *fabulae* (11,6,3); *fabulas* probaverunt ... civitates ac legumlatores utilitatis causa et ad naturalem respicientes animalis ratione praediti affectionem (1,2,8); Homerus veris eventibus *fabulas* adjecit, quibus elocutionem suavem et ornatam redderet (1,2,9); *feriae* animum ab humanis occupationibus abstrahunt atque (ideo) hoc modo animum ad deum convertunt (10,3,9); raritas facit, ut *fides* minus facile adhibeatur (11,11,5); saepe evidentia et omnium consensus plus *fidei* quam instrumentum meretur (2,1,11); ridiculum est, quod dissentientes eo minus putat (aliquis) *fidei* mereri, quo magis discrepant (2,1,8); neque mirum est, esse aliquid credibili alio

credibilius aut eidem alia in re *fidem* adhiberi in alia derogari, ubi ab alio firmiter aliquid afferitur (2,1,8); plerumque *fidei* plurimum habetur iis, qui maxima gloria, aetate, experientia praestant (8,3,22); magnarum *figurarum* partes sensus (visus) cernit, totum (earum) intellectus ex visis componit (2,5,11); praestat lateri *figurarum*, quae geometricis figuris non respondent, non facile posse tradi circumscriptionem (5,1,2 fin.); dicuntur *fundamenta* (scientiae) sine hypothese aliunde pendentibus existere, immo ex se ipsis conjuncta esse atque in se ipsis principia et demonstrationes de se ipsis continere (2,5,2); *furor* instinctum inspirationemque divinam quandam habere videtur atque ad fatidicum genus accedere (10,3,9); multarum rerum cognitio, qua sola opus *geographiae* confici potest, non est nisi ejus, qui divinas humanasque res contemplatur, quarum rerum scientiam philosophiam definiunt (1,1,1); utilitas *geographiae* varia, quae partim ad negotia civilia actionesque principum virorum pertinet, partim ad cognitionem caelestium et terrestrium, designat eundem virum, qui de arte vitae ac de beatitudine cogitat (1,1,1 fin.); qui primi *geographiam* attingere ausi sunt, ii philosophi fuerunt (1,1,1); *Helvetii*, viri auri quidem divites, pacem tamen colentes (7,2,2); *historia* veritatem requirit, sive prisca ea sive nova est; monstra aut nulla admittit aut raro (historia) (11,6,3); *historiae* finis est veritas (1,2,17); *ignis* motus sicut aliorum multorum flatuum ordinem non habet nobis manifestum (16,2,43); omnino praeterire aliquid non est *ignorantiae* indicium (1,2,30); neque *imitamenta* exemplaribus primigenis neque recentiora antiquioribus priora sunt (10,4,18); *imperatores* ipsi quidem omnia agunt, non ubique tamen adsunt, sed permulta aliorum opera perficiunt nuntiis credentes et pro rebus auditis mandata convenientia huc illuc mittentes (2,5,11); tota et singulae partes mutantur pro *imperio* eorum, qui rerum potiuntur (9,5,4 fin.); non habere, quod dicas, idem est atque cohibere affirmationem; is in neutram partem *inclinat*; at qui jubet ita haec relinqui, ut habent antiqui, is quidem eo *inclinat* (2,1,11); praecipue circa contractus et pecuniarum acquisitionem committuntur *injuriae* (7,3,4); rei *insolentia* sensum turbat et arguit naturalium effectorum totiusque vitae imperitiam (1,3,16); *intellectus* ex iis, quae sensus suppeditant, notiones in animo effingit; figuram enim, colorem magnitudinemque pomi, tum odorem, tactum et saporem sensus indicant et ex his (notis) intellectus notionem pomi componit (2,5,11); *jucundum* est, quod nunc novum est et quod antea nemo scivit (1,2,8); *jus* quidam definiverunt potentioris esse commodum (1,1,18); bonis reguntur *legibus* non ii, qui omnem calumniae locum volunt praeccludere, sed qui leges

simpliciter scriptas omni cura tuentur (6,1,8 fin.); quicumque *litterarum* et disciplinae rudes sunt, quodammodo pueri sunt atque eadem ratione puerili tabulas amant (1,2,8); *luxuria* hominum videtur in aëris et aquae temperiem culpam referre; atqui non haec causam luxuriae praebent, sed divitiae et victus intemperans ratio (14,2,16); *maris* nulla est declivitas (1,3,7); *Massiliae* omnes ingenio praediti ad eloquentiam et philosophiae studium se conferunt (4,1,5); administri *Musarum* sunt omnes eruditi (10,3,10); natura disciplinarum examinanda est, quae ex *musica* principium sumit (10,3,9 fin.); *musica*... cum deo nos conjungit (10,3,9); morum formatio *musicae* attribuitur (10,3,10); quaelibet species *musicae* opus deorum est, ut opinantur Plato et Pythagorei (10,3,10); *mundum* per harmoniam compositum esse Plato et Pythagorei autumant (10,3,10); ad res immutabiles nemo *normas* et mensuras adhibuerit mutabiles neque iis quae subinde aliter aliterque habere possunt, utatur in iis tractandis, quae per se sunt neque varietatem admittunt (2,4,7); propinquiora semper sint *notiora* necesse est (1,1,16); mystica sacrorum *occultatio* majestatem numini attribuit imitans ejus naturam quae sensus nostros effugit (10,3,9); *oratione* persuadere non est regium munus, sed artis rhetoricae (9,2,40); *oratoria* prudentia in oratione versatur (1,2,5); quae gentes vivunt in regione

felici, eae *pacis* sunt studiosae; quae autem incolunt loca sterilia aut incommoda, pugnaces sunt ac fortes; ita fit, ut mutua utrinque beneficia accipiantur, dum hi arma ad defendendum accommodant, illi terrae fructibus, artibus et morum institutione hos adjuvant; etiam manifesta sunt ex mutua parte damna, cum altera pars alteri non fert opem (2,5,26); majore *peritiae* praemia et graviora imperitiae damna sunt (1,1,17); *philosophi*... temperantiae justitiam proximo loco apponentes vitam alienis non indigentem et frugalem imprimis affectaverunt (7,3,4); scientia rerum divinarum humanarumque est *philosophia* (1,1,1); *philosophia* nisi ad paucos non pertinet (1,2,8); *philosophia* politica plerumque circa principes versatur (1,1,18 fin.); Plato et Pythagorei *philosophiam* tamquam musicam nominaverunt (10,3,10 initio); antiqui poëticam dixerunt primam quandam esse *philosophiam*, vitae a prima aetate formatricem, quae morum, affectuum actionumque rationes nos voluptate comitante doceat (1,2,3); fieri non potest ut turba mulierum et quaelibet multitudo vulgaris oratione *philosophia* exciteetur et ad religionem, pietatem, fidem colendam provocetur (1,2,8); *physica* est scientia fundamentalis (2,5,2); quod simul et impletur et evacuatur, quantum usus flagitat, id semper est *plenum* (9,2,40); Homeri *poema* omnes scriptum philosophicum esse censent (1,2,17); bonus *poeta* fieri non potest, qui non prius vir bonus ex-

stiterit (1,2,5 fin.); Stoici nostri solum sapientem esse *poetam* affirmaverunt (1,2,3); Eratosthenes dicebat omnem *poetam* ad alectandum, non ad docendum tendere (1,2,3); non verum est quod Eratosthenes dicit omnem *poetam* oblectationem, non finem docendi appetere (1,1,10); *poetae* ornandi gratia omnia templa lucos appellant etiam arboribus carentia (9,2,33); prudentissimi eorum, qui de rebus poeticis aliquid locuti sunt, *poeticam* primam quandam philosophiam vocant (1,1,10 fin.); veteres *poeticam* formandis ad virtutem cuiusvis aetatis moribus sufficere opinabantur (1,2,8); *poetica* vulgo utilior est, quae etiam theatra complere possit (1,2,8); ubi de *providentia* et fato disputatur, multa inveneris alioqui in rebus humanis ac naturalibus, de quibus diceres praestitisse alioquam hoc modo ea fieri (4,1,7); opus *providentiae* testimonio esse putari potest loca non fortuito, sed ratione aliqua disposita esse (4,1,14); ex aspectu deprehendimus suffocatricis cujusdam affectionis speciem... divina id fit *providentia* ut par est in divinis furoribus (13,4,14); *providentiae* est, quod, cum ornatrix sit et plurimarum rerum opifex, in primis animalia creare voluit, utpote quae longe ceteris antecellant, atque horum ipsorum praestantissima: deos atque homines, quorum gratia cetera constituta sunt, deis itaque caelum, hominibus terram incolendam dedit, quae duo mundi extrema sunt (17,1,36); *pueri* aetate progressi duci ad ipsarum rerum disciplinam debent, quod jam intelligentia corroborata sunt neque blandimentis cordium egent (1,2,8); veteres institutionem *puerilem* usque ad perfectam aetatem prodixerunt (1,2,8); *purpura*, in signe regii generis (14,1,3); in magna *quantitate* exiguae nullus est locus (2,5,18); ubi sensu aliquid deprehendere non licuit, *ratio* idem demonstrat (1,1,8); difficulter *redarguuntur*, quae de longe dissitis narrantur (11,6,4); e rationibus futiliter contradicentes *refellendi* haec quoque una est (ratio), cum ipsam eorum sententiam, qualiscumque ea est, ostendimus nobiscum facere (2,1,19 fin.); maxime omnium posse *reges dicimus* ideoque etiam dynastas eos a potentia appellamus (9,2,40); *reges* possunt ducendo, quo volunt, multitudinem idque vel persuadendo vel cogendo (9,2,40); *reges* beneficiis potissimum persuadent (9,2,40); *reges* persuadent quidem beneficiis, armis autem cogunt; utrumque horum pecunia venale est; nam et exercitum maximum habet, qui eum alere potest; et plurima beneficia praebeere potest, qui maximas possessiones habet (9,2,40); *regium* persuadendi genus (vel: regiam suadam) dicimus, cum beneficiis ducunt et alliciunt ad ea, quae volunt (9,2,40); *reipublicae* forma et figura est lex (1,1,18); *sol* medicamentum frigoris est (9,2,41); quanto majore *studio* quis de rebus illustribus scribit quantoque plures sunt, qui de iis aliquid disserue-

runt, tanto magis est obnoxius reprehensioni, si quis historiam non teneat (9,1,19); vincit *utilitas* (5,3,5); quotquot Alexandrum comitati de rebus ejus gestis aliquid scripserunt, ii admiranda *veris* antehabuerunt (15,1,28); raro *vir* seorsum vivens, qui... cultus deorum festosque dies ac supplicationes curat, invenitur (7,3,4); poetae *virtus* hominis cum virtute con-

juncta est (1,2,5); qui nullum *virtuti* ac prudentiae atque iis quibus ista comparantur doctrinis studium impendit, is neque vituperare quidquam recte neque laudare neque judicare potest, quae nam facta sint digna memoria (1,1,22); ad civilem socialemque *vitam* commodatiores sunt horae cenandi et prandendi (15,1,53).

Dtor. AEMILIUS ORTH (†)

DE RE COSMONAUTICA

(pars altera, quae priorem, in n. 196 editam, sequitur)

XXIV. — Quarto idus aug. a. MCMLXVI — Machina, seu specillum (italice: «sonda»), cui nomen «Lunar orbiter», a Foederatis Americae Civitatibus per aetherea spatia, ut aliquot circum lunam orbem compleat, summo studio consilioque adhibito, propellitur. Eadem machina, instrumentis variis una cum capsula, imaginibus luce imprimendis, instructa, octavo exacto die, cum ad lunae superficiem magis ac magis appropinquaverit, summi lunaris soli imagines, passim impressas, in terram missura aestimatur, quae cujusque regionis descriptiones demonstrant ad quoddam aethereum vehiculum appellandum aptissimae. — Undevicesimo enim exacto die, ex quo in spatia projecta machinula est, omnia eidem commissa prorsus perfecta esse videntur, praesertim cum quaedam ipsius lunae partes sint plane repraesentatae, quae adhuc ignotae omnino erant.

XXV. — Pridie idus septemb. a. MCMLXVI — Americani cives, Charles Conrad et Richard Gordon, intus in capsula, quam «Gemini XI» dicunt, inclusi, in sublime proiciuntur spatium, ut se in missile «Agena», duas ante horas praemissum, collineent, quin etiam eidem «Gemini» capsulae inhaereant: id prius agendum quam perficiatur orbis primus. Iisdem in animo est alterum, e capsula egressum, totam horam dimidiamque spatiari; alterum, deinceps, ex fenestella prominentem, machinulam quandam tractare, quae stellarum imagines lucis ope imprimat. Praeterea, ambo se rursus in capsulam reversos, elatius perrecturos usque ad millesimum trecentimum septuagesimum km. — Postremo, tertia peracta die, Oceani aequora versus capsulam, ex missili «Agena» sejunctam, redituros, per adaperibilem umbellam leviter labentes. Omnia equidem ipsa ratione ipsoque loco ac tempore, quibus erant sapienti consilio excogitata, perfecta conspici potuerunt, decimoseptimo kal. octob., deminuto tantum spatialis morae tempore.

XXVI. — Tertio idus nov. MCMLXVI, spatialis cella, «Gemini XII» appellata, cives americanos transportans, est in altum, trans aethereas regiones, propulsa; id praecipue persequendum propositum: ut in missile, «Agena» appellatum, aliquantum antea e terrestri statione propulsum, collineet, cum ipso etiam se conjungat; quod enim eundem felicem obtinet exitum, ac priora jam nacta experimenta fuerunt. Cosmonauta Aldrin, e capsula fenestella ipso suo prominente trunco, variarum cosmi rerum imagines, luce impressas exprimit, vel ipsam

solis imaginem in quadam spatii regione, quasi ex industria eadem hora deficientis. Post duas fere horas, dum «Gemini» adhuc missili «Agena» arcte adhaeret, idem cosmonauta, per funiculum chalybe teretem, e cella iterum egressus, inania peragrat plus quinque horas, summa facta. Quatuor peractis diebus, quorum pars in variis machinalis artis negotiis conficiendis est consumpta, cella «Gemini XII» una cum cosmonautis, e missili «Agena» demum sejuncta, per adaperibilem umbellam Oceani aequora tangit.

XXVII. — Decimo kal. jan. MCMLXVII — Machinulam, seu specillum (vulgo, italice «sonda») russici rei cosmonauticae periti, post inrita superiora experimenta semel iterumque effecta, in aethera tandem propulerunt, quae ad superficiem lunarem leniter appulit: capsula eidem innexa, aliquot post horas quam lunare solum tetigit, complures imagines, ope lucis impressas, in terram misit; ex quibus colligi potest summum lunae solum esse plerumque pervium, etsi passim rimosum atque hiatibus frequens, vulcania eruptione effossis.

XXVIII. — Quinto decimo kal. maj. MCMLXVII — Machina aëria tripedalis, «Surveyor III» dicta, ab americanis, rei cosmonauticae peritissimis, propellitur, quae subtilius experiatur quid et quale sit lunare solum. Cum autem, antequam in aethram ferretur, eadem machina tria milia librarum ponderis superasset, mox, ubi primum ad lunae superficiem appulerit, tertia saltem parte, ob minorem gravitatis ac ponderum vim, ipsa ponderis profecto minuetur. — Ut hujus, proximi Terrae, satellitis majore tandem studio excavatio, quam dicunt, perficiatur, extremo cuidam machinae brachio, quod protrahi aut contrahi valeat, cava quaedam palmula adaptata geritur, ad humum effodiendam, volvendam, eandemque, si forte dura inveniatur, frangendam. Quoniam, vero, jampridem, per superiores speculatrices machinas, cognosci potuit lunae solum ejusmodi conditione constare, qua capsus vel maximus ad lunares oras appellere possit, reliquum demum est ut rectius perspiciatur utrum arenosa an pumicea, vel potius lapidea constare videatur humus. — Altera peracta die, post septuaginta fere volatus horas, omnia, quaecumque eidem machinae mandata fuerant, optime cesserunt. Effossae deinceps sub lunari superficie partes, quas praedicta machinae palmula adunca reppererit atque collegerit, perspicuae eruditorum menti quam primum subigentur: quorum iudicium eo pluris aestimabitur, quod extremum machinae brachium cujusdam vulcanii crateris, cujus in clivo se leniter eadem machina posuerit, materiem interiorrem extraxerit. Colligi demum potest et ex imaginibus, lucis ope impressis, et ex reperta ac perspecta materie, lunae solum satis solidum videri, ut capsus, vel admodum ponderosus, ad ejus oras appellere et ubique ejusdem soli se deponere possit.

XXIX. — Decimo kal. maj. MCMLXVII — Quidam capsus, «So-

yuz I», seu «Unio» dictus, nova forma confectus, complura milia librarum pondo (vulgo, italice = tonnellate), a russo cosmonauta, cui nomen Vladimir Komarov, gubernatus, est in aetherea spatia propulsus. Idem Komarov, aëronavium classis praefectus, jam alias, cuidam minoris ponderis capso, «Voskhod I», seu «Aurora» dicto, cum duobus aliis sociis impositus, iter per aetheris inania fuit superiore tempore aggressus, mense scilicet octobri, a. MCMLXIV (v. quae sub eodem mense annoque superius diximus). Eundem autem capsum alter, mox forsitan et tertius, ex peritissimorum rei cosmonauticae virum consilio deinceps secuturus erat, cum primo, circum terram adhuc volante, congressurus; sed repente, ex jussu —ut verisimile videtur— e terra captato, aut —rectius— propter quandam ejusdem capsii partem gravi menda affectam, ipse cosmonauta, a volatu desistens, descendere coepit; verum, res, heu, male cessit, quia, cum jam nec aëronavem gubernare nec adapertili umbella uti posset ob implicatos ejusdem funiculos, acerbo fato, praiceps ex alto in terras dejectus, perfractis membris, obivit.

XXX. — Pridie idus jul. a. MCMLXVII, hora post meridiem fere altera, ex ingenti apparatu apud quandam Foederatae Americae Civitatum regionem vulgo «Cape Kennedy» dictam, constituto ad machinas speculatorias vel, interdum, ad ipsos animantes, et homines et bestias, in aetherea spatia propellendos, quoddam machinamentum, seu specillum (vulgo, italice «sonda»), cui nomen «Surveyor IV», est feliciter propulsum. Idem, tripedali forma, in quadam praevisa lunae plaga leviter se positurum viri cosmonauticae rei peritissimi adfirmant, quae «Sinus Medii» appellari solet quaeque septingentos km. ab altera distat, «Procellarum Oceanus» dicta, ubi se leviter antea (XIII kal. maj. superioris anni) «Surveyor III» se posuit. Est autem metallica palmula, seu brachio prehensanti, instructum; instrumentum, insuper, magnetica vi praeditum, et «telethecam» gestat, nempe capsulam imagines variorum lunae locorum luce impressas in terram transmissuram.

Lunarem superficiem «Surveyor», ex communi eruditorum aestimatione, sextodecimo kal. aug., ad quartam post mediam noctem horam ac semissem (ital. temp.) attigerit.

Exacta, heu, tamen, et hora et ipsa die, qua machina «Surveyor IV» ad lunare solum, ex praefata peritorum aestimatione, appulsura erat, cum jam nullum indicium sonorum per aethereas undas esset prorsus exceptum, eandem, lunae ocius praeviso appropinquantem, in corpuscula per diruptionem discissam, aut contra asperiores lunae oram per ictum violentum diffisam esse, colligi facile potest.

IN COSMONAUTAM RUSSICUM

(fato correptum acerbo)

*Qui modo, ceu fultus pennis, impune volabat,
In terras, captus morte, redivit iners;
En, viridantis adhuc pergrato flore juventae,
Machina, non animans, dempsit, iniqua, virum!
Ipsa tamen per se scelus an videatur inire?
Non homo fecit eam, mentis et artis ope?
Quin etiam super ut nubes, ut et astra mearet,
Quidque sui melius navita sponte dedit.
At melior pars non animae tribuatur oportet?
Viva, subacta, manet...; machina, victa, jacet!
Nata per humanum studium, velut arbitra fati
Machina facta siet vel quod in orbe rotet?
Ex anima, vero, ceu nullo semine rerum,
Nata Dei nutu, vita superstes erit!*

JANUARIUS MARINELLI Professor.

Via Salvator Rosa, 241.

NEAPOLI in Italia.

RISUM TENEATIS

BEETHOVENIUS, PUER VERE MIRANDUS

Cum BEETHOVENIUS nondum ex pueris excessisset, interdum tamen clavichordium violinamque ex tempore pulsare solebat, curam ad hoc tantam conferens ut se velut in oblivionis omnium rerum mare immergeret.

Mater enim semel iterumque cum comestum eum vocaret rerum conscius id facere debebat.

Quodam vero die, cum puerum quaereret, in cubiculo violinam pulsanter ejusdemque melodia captum invenit. Tamen timore perculsa mater araneolam de tecto labentem in puerum, qui medio in cubiculo erat, animadvertit; puero quidem mater subsidio dicto citius currere, procul araneolam ejicere, eamque denique pede complanare.

Nihilominus musicus puer ira correptus, matris ad pedes violinam conjecit atque nunquam in posterum pulsavit quod morte araneolae unice comitis, quae in solitudine studium atque aures ad ejus musicam adhibebat quaque arte sua incantaverat, magnopere est percussus.

GULIELMUS AIQUEL
Cordubae, in Argentina.

INTER CANES

Canis russicus qui in Foederatas Americae Septentrionalis Civitates nuper pervenit, cum cane hujus regionis colloquitur:

- Quo modo apud tuos in Russia valebas?
- Optime, nam casam habebam optimam, manducabam quod vita exposculabat optimamque lodicem possidebam...
- Tunc vero, quare in plagas nostras appulisti?
- Quia aliquantulum latrare cupiebam!

J. ALONSO, cmf.
Basbatri in Hispania.

POPULUS IN FUNE

(PUPPET ON A STRING)

Carissimo sodali salmanticensi J. C. Martínez, Pbro.
latine aptavit M. Molina, C. M. F.

S Moderato

Quam — mirum mei tuum tandem studi-
um! Si me pereas, sit summum mihi gaudium ut in fune pupu-
lo! —
Eculorum ceu rota est amor in mundinis quae prostat.
Eculorum quae luoror rota, mox oscillo perdam.
Vel in terram deorsum trahor
Foris aut intra res est nota
Vel sursum per auras. Semperne dux eris?
quisnam funes agat. In vinclis tibi sum!
An cras nunc abieris? Sed ipse me fers quorsum? D.S. al \oplus

Quam — mirum mei
 tuum tandem studium! Si me pereas, sit
 summum mihi gaudium ut in fune pupulo! —
 — ut in fune pupu — lo!

PUPPET ON A STRING*

I wonder if one day that you'll say that you care,
 If you'd say you love me madly, I'd gladly be there,
 like a puppet on a string!

Love is just like a merrygoround
 With all the fun of the fair
 One day I'm feeling down on the ground
 Then I'm up in the air
 Are you leading me on?
 Tomorrow will you be gone?

I may win on the roundabout,
 Then I lose on the swings
 In or out, there in never a doubt
 Just who's pulling the strings
 I'm all tied up in you!
 But where's it leading me to?

* Quae cantilena in Certamine Eurotelevisionis hujus anni MCMLXVII summa laude praemioque ornata est.

DUO EPIGRAMMATA JULIANI, PRAEFECTI AEGYPTI

Pluto qui regnas ubi nemo ridet, ut unum
Ridentem teneas, accipe Democritum.

Anthologia Palatina, VII. 59.

Cerberē, latratu terras qui cuncta trifauci,
Umbra inmitis adest, et metuenda tibi.
Mors habet Archilochum: saevi tu vatis iambos,
Quos ciet horrendos livida lingua, cave.
Tanti vim fremitus scis ex quo maesta Lycambae
Cumba tibi natas attulit una duas.

Ibidem, VII. 69.

PORCUS LOQUITUR

Porcus, ecce!, sum rotundus,
Pinguis, albus, iracundus.
Cur sum iracundus porcus?
Mox, heu!, me tenebit Orcus.

Hos misit versiculos H. H. HUXLEY
3, LINDOW ROAD,
SEYMOUR GROVE,
MANCHESTER, 16, ENGLAND.

EPIGRAMMA

Simius hirsutis membris extollitur auctor,
Albina, humani, vindice te, generis.
Non miror, Albina: pilis ornata videris
haud indigna tuo progenitore nepos.

ANTONIUS LICCIARDI
Seminarii Monregalensis alumnus

PRAECEPTOR JUVENES DISCIPULOS,
QUI PERICULUM SUI FACTURI SUNT, POST CENAM COMMUNEM
FESTIVE ALLOQUITUR NOVUMQUE COGNITIONIS ET SCIENTIAE
AMOREM EIS INFUNDERE CONATUR

Invitationem vestram, puellae et pueri dilectissimi, libenter accepi atque ejus laetitiam cum penitus hauserim, dum anni tempus arridet atque omnia ad carpendum diem nos allicere videntur, vobis maximam habeo gratiam; cumque mox, post hanc cenam opirare apparatus, nobis discedendum sit ad munera nostra obeunda, hunc calicem vobis propino, imprimis ut probationis proximos dies feliciter adire possitis; deinde ut studiis per triennium communiter confectis vitae civilis via vobis aperiatur; ut omnia ad quae perficienda alacriter et juvenili vigore susceperitis plana apertaue vobis videantur; ut res quas homines nostri aevi praeter omnium expectationem consecuti sint, per manus vestras audacter sapienterque tractare, mirabiliores fiant; ut almo quodam die Luna, quam Graeci Σελήνην vocabant, idest, fulgentem, pedibus vestris obteratur ac tandem illi anxiae Jacobi Leopardi, aerumnosissimi poetae, interrogationi respondeatur: «Che fai tu, Luna, in ciel? dimmi, che fai, silenziosa Luna?», sed etiam ut ad terram, parvam universi particulam, gloria redimiti revertatis atque eorum qui, aetate jam provecta, mentis aciem adhibentes minimeque viribus parentes dum cotidianum munus exsequuntur, ad animos vestros excolendos honestissime contulerunt, memores sitis; denique ut illius praecceptoris qui humanum et civilem cultum Romanorum Graecorumque vobis diligenter detexit recordatio semper haereat in mentibus vestris atque in eis foveat dulce idemque maestum desiderium.

Augustae Taurinorum, kalendis Juniis ann. MCMLXVII p. Ch. n.

VICTORIUS D'AGOSTINO.

Litterarum Humanarum Professor.

Via S. Pio V, 16.

AUGUSTAE TAURINORUM (Torino) in Italia.

B I B L I O G R A P H I A

PACITTI, G. — *Piccolo lessico per un Congresso internazionale dedicato al latino*, Angelo Signorelli, Roma 1966.

Occasionem nactus Congressus Romani *de lingua et literis latinis* Guerinus Pacitti, ab actis Instituti Studiorum Romanorum, parvulum composuit lexicon italicum-latinum, quod praesto esset omnibus Congressui adstantibus et iis etiam qui frequentiora vocabula latina nostrae aetatis, quasi in compendium coacta, habere volunt.

Neque in proposito defuit praeclarus scriptor, nam minimo 113 paginarum spatio multa profert vocabula et locutiones, quibus apte, latine, certa fide linguae latinae studiosi utantur.

Consequuntur indices vocabulorum gallicorum, anglicorum, germanicorum, quibus in italicum conversis, facillime lexicon multis aliarum civitatum civibus utile erit.

Est quod de novo lexico, quo usus linguae latinae facilius redditur, magno opere laetemur, atque a clarissimo scriptore ampliora spectemus de universo lexico latino opera.

BAILS, S. — *Psyches et Cupidinis fabula*, Aubanel, pp. 79.

MICHEL, A. — *Selecta carmina mediae aevi - IX-XIII saec.*, Aubanel, pp. 93.

CALLENS, P. L., S. J. — *Cycnea carmina*, Aubanel, Avignon, 1966, pp. 126.

In Congressu ad linguam latinam vivam reddendam Argentorati anno

1963 habito votum nuncupatum est decretumque ab adstantibus ut *corpus* pararetur *lectionum latinarum* ex antiquis, mediae aevi, recentioribus scriptoribus desumptarum; quibus selecti loci, intellectu faciles, breves aptique ad latinitatem omnium aetatum cognoscendam ad manus haberentur. Ex quo communi voto haec nunc prodeunt opuscula:

Primo fabula Apuleji continetur qua vices et casus puellae Psyche narrantur, quae multis fortunae et Veneris vicissitudinibus exagitata, tandem immortalis a summo Jove declaratur, in caelum perducitur, perpetuisque nuptiis cum Cupidine "beatam fortunatamque agunt vitam".

Spectatissima femina S. Bails ita fabulam Apuleji retractavit atque adulescentibus omniumque aetatum legentibus aptavit, ut primum quasi uno haustu, pulchra jucundaque narratione capti, totum legant libellum; deinde iterum iterumque legentes et tenorem narrationis et verba et locutiones singulas notent, eaque ratione quasi compendiaria via in linguam latinam certo gradu ingrediantur.

Alter libellus, qui *Selecta carmina* mediae aevi complectitur, in duas partes dividitur: quarum in altera excerpta solutae orationis et carmina referuntur ab anno 800 ad 1150; scriptores autem sunt Alcuinus, Hrabanus Maurus, Johannes Scotus Eriugena, Paulinus Aquilejae (?), Walafrius Strabo, Gotteshalcus Fuldensis, alii. In altera vero parte, ab scriptoribus qui fuerunt ab anno 1150 ad 1300 loci proponuntur selecti: ex Matthaeo Vindocinensi, Sugerio, Sancto Bonaventura et Thoma Aquis-

nate, Gualtero ab Insulis, ex Carmi-
nibus Buranis, aliisque.

Selectum quidem *florilegium*, in
quo tamen nonnulla latinius expri-
menda essent, ne oculi auresque leg-
gentium offenderentur, neve nobis
adversantibus tela daremus infesta
(ut sunt: Archiepiscopus in *Mainz*,
synodi in *Friuli*, in Italia, in *Orbais*,
apud *Soissons*, Gerbertum in *Auri-
llac* et *Reims*, Fulbertum in *Char-
tres...*). -Nam civitatum nomina, qua-
re latine non efferamus?

Consequitur tertio liber Patris Cal-
lens in quo novus poëta suaviter canit
cycnumque canentem superat. Multa
sane sunt ibi carmina linenda cedro,
quaque puram sapiunt latinitem et
optimos referunt poëtas, multa juvant,
docent multa. Tamen haud scio an
genus illud quo extremae syllabae
unius cum superiore versu consonant,
omnibus placeat et illa quoque libertas
qua in carmine *motocycletam*, "*pi-
pam*", *fumatque tabacum* adhibet.

Laetemur magnopere oportet, si
haec pauca omittamus, quod vel in
civitatibus, in quibus bonum et com-
modum vulgo homines tantum fere
conquirere videntur, et mentis supe-
riora studia litterasque latinas alii ex-
colant maxime.

PIGHI, J. B. — *De libro Aeneidos
VI quae est catabasis Aeneae*, Pont.
Institutum Altioris Latinitatis, Bi-
bliotheca "Veterum Sapientia",
Series A, vol. III, Romae, 1967,
pp. 176, 1600 lib.

Joannes Baptista Pighi, qui in
Universitate Bononiensi est litterarum
Latinarum Professor ordinarius, su-
periore anno 1966 in Pontificio In-
stituto Altioris Latinitatis "cursum
monographicum" de litteris latinis
habuit, in quo alumnis praelegit quae
hoc continentur volumine.

Qua est summa ornatus doctrina

ita rem digessit, apparavit, commen-
tariis, notulis, excursibus instruxit ut
hoc opusculum omnibus in Instituto
doctoribus auditoribusque exemplar
praebeatur et forma. Quod in tres
dividitur partes: quarum prima, quae
ad legendi rationem pertinent, claris-
simus Professor complectitur; altera
vero, rei claritatem consecrans, pluri-
ma tradit quae totum illustrent libri VI
Aeneidos argumentum: nam et con-
textum (cap. IV) et rem nauticam
(V) et Orci vestibulum (VII) et Tar-
tarum (VIII) et Elysium (IX) et
Eschatologiam (X) et Vallem Le-
thaeam (XI) scitissime pertractat;
tertia tandem parte praecipuis adhi-
bitis auctoribus tum veteribus: Ser-
vio, Macrobio, Nonio, tum recentio-
ribus: Dante, Norden, Pascoli, com-
mentarios praebet doctrina litterisque
antiquis et recentioribus refertos.

Quae omnia *appendice lectionum*
complentur, quibus multa haud inju-
cunda et doctrina plena continentur.

Hoc autem primo volumine faus-
tissimum sunit initium Bibliotheca
Veterum sapientia in Instituto Altio-
ris Latinitatis edenda, cujus amplis-
simos fines apte comprehendit suis-
que terminis definit Card. Dinus
Staffa in voluminis quasi prooemio:
"aggerem opponere contra impuden-
tes assultus, qui undique fiunt ad la-
tinae linguae studium et usum exte-
nuandum...; — scriptis illustrare...
Ecclesiae et cujusque verae doctrinae
thesaurum...; — professoribus Insti-
tuti cunctisque studiorum classicorum
cultoribus novum veluti suggestum
offerre, ex quo lucem suae doctrinae
doctarumque indagationum latius dif-
fundere et possint atque diuturnius;
— omnibus classicarum ac praesertim
christianarum litterarum cultoribus
collectionem scriptorum offerre, qui-
bus et communi lingua se conjunctos
sentiant et auxilium aliquod atque
stimulum percipiant ad latinas grae-

casque litteras in tota earum progressionem illustrandas"; quod ut assequantur "aptos ad veram institutionem libros suppeditet, proponat exempla plenioris Auctorum interpretationis et scientificae agenda investigationis..., auxilia praestet aperiatque vias ad proprias earum inquisitiones".

Ii autem, qui Bibliothecae — et etiam Pontificio Instituto — constituti sunt fines, in felicem perducantur exitum: vehementer et optamus et expectamus.

TULLI CICERONIS, M. — *Opera omnia quae exstant critico apparatus instructa consilio et auctoritate Collegi Ciceronianis Studiis promovendis*, sumptibus Arnoldi Mondadori, Romae:

Pro Sex Roscio Americo oratio, Petrus I. Enk recognovit, pp. 112, 1500 L.;

Pro M. Tullio oratio, Joanes Garutti recognovit, pp. 32, 800 L.;

Actionis secundae in C. Verrem liber IV, Henricus Bardon recognovit, pp. 98, 1500 L.;

Pro A. Caecina oratio, Alvarus D'Ors recognovit, pp. 60, 1500 L.;

Pro P. Cornelio Sulla oratio, Josephus Em. Pabón recognovit, pp. 64, 1500 L.;

Pro L. Flacco oratio, Fridericus Zucker recognovit, pp. 86, 1500 L.;

Orationum deperditarum fragmenta, Julius Puccioni recognovit, pp. 192, 2500 L.;

Poëtica fragmenta, Antonius Traglia recognovit, pp. 144, 2000 L.;

Epistularum ad familiares liber VIII, Joannes Bayet recognovit, pp. 68, 1500 L.;

Tusculanarum disputationum libri quinque, Hans Drexler recognovit, pp. 294, 3000 L.;

Timaeus, Franciscus Pini recognovit, pp. 64, 1500 L.;

De officiis, Paulus Fedeli recognovit, pp. 234, 3000 L.;

Tutte le opere di Marco Tullio Cicerone tradotte col testo a fronte:

L'orazione per Publio Quinzio (V. Arangio-Ruiz) — *L'orazione per Sesto Roscio Amerino* (Enrico Longi) — *L'orazione per l'attore comico Quinto Roscio* (VV. Arangio-Ruiz) — *L'orazione per Marco Tullio* (Gerardo Broggin), pp. 400, 2000 L.;

L'istruttoria contro Quinto Cecilio (G. Morabito), — *La prima azione giudiziaria contro Gaio Verre* (C. Prato) — *La seconda azione giudiziaria contro G. Verre* (lib. I: Fr. Pini; lib. II: M. Caroli), pp. 510, 2000 L.;

Le Catilinarie (V. Ragazzini) — *L'orazione per Lucio Murena* (A. Ardizzoni) — *L'orazione per il poeta Archia* (E. Paratore — G. Funaioli), pp. 370, 1600 L.;

L'orazione di ringraziamento al Senato (S. Desideri) — *L'orazione di ringraziamento al popolo* (G. Caprioli) — *L'orazione sulla propria casa* (C. Corsanego) — *L'orazione sul responso degli Aruspici* (M. Pasquale), pp. 386, 1800 L.;

L'orazione per M. Celio Rufo (G. Pacitti) — *L'orazione per P. Sesto* (E. Castorina) — *L'orazione contro P. Vatinio* (U. Albini), pp. 388, 1500 L.;

Le Filipiche, 2 t. (B. Mosca), pp. 750, 3500 L.;

I frammenti poetici (A. Traglia), pp. 154, 1000 L.;

Lettere ai familiari, lib. I-IV (G. Giannelli), pp. 360, 1800 L.;

Le Tusculane (A. Di Virginio), pp. 536, 1800 L.;

La vecchiezza — L'amicizia (G. Pacitti), pp. 220, 1500 L.;

Dei doveri — delle virtù (Q. Cautaudella), pp. 408, 2000 L.

Collegium Ciceronianis Studiis pro-

vehendis in aliis maximi momenti operibus tractandis ac perficiendis illud quoque sibi complendum assumpsit: omnium operum Ciceronis editiones divulgare. Duae igitur editiones emitti coeptae sunt, quarum prima, quae vere critica est, textum et criticum apparatus continet. Praeficitur *praefatio*, in qua ea quae ad libri historiam et codicum traditionem spectant, diligenter expenduntur; deinde codices, testimonia, editiones antiquae et recentiores commemorantur atque nomina propria sub appendice colliguntur. Hujus corporis parva volumina duodecim saltem prodierunt ac venalia prostant. Scriptorum auctoritate, qui textus recognoverunt, maxime commendantur.

Altera vero editio, quae textum exhibet ejusque italicam conversionem, prooemio ornatur, in quo aetate ciceroniana ac temporum condicionibus propositis, quid de philosophia, de litteris, de historia, de jure, de causa agenda, de argumento tractando Cicero senserit accurate enucleatur; ut autem Ciceronis mens planior fiat legentibus multae subponuntur adnotationes.

Quae duo corpora in studiis ciceronianis quandam quasi lacunam complebunt; nam et docti viri in legendo Cicerone commodum praesto habebunt auxilium, maxima optimorum scriptorum auctoritate et fide firmatur, et qui minore studio litteras latinas excolunt aut percipiunt, Ciceronis mentem nihilominus interpretatione proposita, facillime capient.

His aliisque Instituti Studiorum Romanorum inceptis fausta quaeque ominamur, ac clarissimo Editori Arnolfo Mondadori dum de opere incepto gratulamur, eum vehementer rogamus ne in toto perficiendo unquam animo concidat.

J. M.^a MIR, C. M. F.

SCHMIDT, J. — *Dictionnaire de la mythologie grecque et romaine*, 319 pp. Edit. Larousse, Paris, 1965.

Graecorum Romanorumque mythologiae a deorum cultu sejungi non possunt, quoniam ex eo illae vim et pondus sumunt. J. Schmidt, Graecorum Romanorumque mythologiis dignitatem vindicare atque diis, heroibus, aetatibus fabellisque pristinam claritatem, ab hominibus diu jam neglectam, restituere intendit. Ideo mythologias non tantum cultus fontem esse, sed etiam populorum et cognitionem et vitam evolvere dicit. Quam ob rem in hoc volumine ampla mythologiarum earumque figurarum explanatio non invenietur. In horum populorum mythologiis quaestiones et de moribus et de litteris et de scientiis et de rebus societatem expectantes, quae in posterum peramplius excolendae erant, jam pertractantur quoniam et animi corporisque dolores et dubia et mortis, amoris fatique timores nobis narrantur. Fontium ex scriptis indice concluditur opus.

Et laborem et accuratam operis exhibitionem et imaginum claritatem laudamus atque auctori maximas dicamus laudes.

CHARMET, R. — *Dictionnaire de l'art contemporain*, 320 pp. Edit. Larousse, Paris, 1965.

Hujus temporis homines in artem multum incumbunt atque ex eo maximam delectationem capiunt. Auctor in hoc volumine edendo, in quo tam nova quam pristina universae artis, id est, ab anno 1900 usque ad annum 1964, sunt opera, ut lectores artem melius intellegant intendit. Vitae narrationes, praecipua uniuscujusque pictoris opera atque de eis iudicia, ab R. Charmet, critico littera-

rumque cultore, aperte, plane incorrupteque probantur et censentur atque omnes artis opiniones propensionesque aequo animo agitantur.

In quibusdam voluminis paginis de artis progressu in unoquoque populo deque variis pingendi rationibus deque locis arti dicatis elementa ad pictorum opera distinguenda atque hujus temporis artem mente percipiendam lectores invenient. Haec tantum addimus: accurata operis exhibitio, in rebus explicandis claritas imaginumque pulchritudo permultum nobis placuerunt. Qua de causa ex immo corde auctorem laudamus ejusque operi prosperum eventum exoptamus.

Europäische Malerei in deutschen Galerien, Alte Meister.

In hoc fasciculo clasissimas pictorum imagines, quae in nonnullis pinacothecis Germaniae reperiuntur lector inveniet. Tamen vero picturae a saec. XIV usque ad saec. XVII ab auctore tantum seliguntur. Quam ob rem fasciculum picturae cultoribus utilem censem omnibusque qui Germanorum humanitati et historiae vacant.

PICARD, CH. — *Manuel d'archéologie grecque* (La sculpture, V: index général des tomes III et IV (IV siècle), pp. 231, Edit. Editions A. et J. Picard et Cie, Paris, 1966.

Quamquam cum Graecorum arte, in primis fingendi arte, populorum cognitio maxime copulata est, tamen vero in oblivione diu fuit. Quam ob rem in hoc volumine et Graecorum artem in lucem edere ut omnes ejus pulchritudine delectari possint et Graecorum populum celebrare quod ex eo nostra humanitas exorta est, auctor intendit. Hic index IV voluminum statuariis saec. IV operibus dicatorum summa est, per XXX annos assiduo labore

exaratus ad adjuvandos lectores in voluminibus superioribus jam editis legendis. In eo litterarum ordine voces jam in libris superioribus explanatae disponuntur, signatis volumine et pagella in quibus continentur. Tamen nonnulli librorum aut disputationum auctores museaque hic nominantur. Haec notanda: geographicorum nominum typi parvi sunt, contra vero statuariorum operum magni.

RICHER, E. — *Grammaire française pour notre temps*, 224 pp. Edit. Desclée de Brouwer, Brujas, Paris, 1965.

Hoc opus gallicae linguae professoribus et paedagogis in primis dicatur. Auctor grammaticam ad linguae regulas ediscendas minime intendit edere, sed potius, a verbis popularibus incipiens, ad omnia linguae in dicendo genera definienda et componenda pervenit, id est, omnia in grammaticis jam explanata hic alio modo inveniuntur. Quaedam voces, ut subjectum pronomen, res attributae, nec nominantur, sed quae eae continent melius magisque aperte explicantur. E. Richer novam in lingua gallica edocenda disciplinam, in recentibus studii linguarum investigationibus atque in primis in ratione "Lieux linguistiques" appellata fundatam, quaerere omnino intendit. In volumine varia atque magni pretii paedagogiae elementa continentur: qua de causa volumen aptissima edocendi est ratio atque multis paedagogis in ratione "Lieux linguistiques" appellata aptanda inserviet.

TIMMERS, J. — *Petit Atlas de l'art roman*, 243 p. Edit. Sequoia, Paris-Bruxelles, 1965.

Auctor J. Timmers in volumine, quod lectoribus exhibemus, nobis

quaedam de romanicae artis proprietate origineque dicit et explicat. In primo capite quomodo a saec. VI, quo clarae basilicae a Christifidelibus erectae sunt, usque ad saec. X novi artis elementa orta sint monstrat. Postea aliqua populorum monumenta oculis nostris blandiuntur, e. gr. Italiae, Galliae, Germaniae, Hispaniae... Tamen vero architectonica et statuaria monumenta ab auctore tantum seliguntur ac probantur. Sunt quaedam imagines quae ad romanicam artem intellegendam nobis maxime prosunt. Breves notulae nobis singula uniuscujusque monumenti elementa explicant. In pag. 84 locorum, per quos peregrinantes Medii Aevi transibant, descriptio invenitur.

Maxime laudamus nimiam operis exhibitionem, pulchritudinem imaginumque claritatem.

PLANCKE, RL. - VEREMANS, J. — *Tweede Colloquium voor de Studie van de Problemen van het Onderwijs in het Grieks en het Latijn*, 85 p. Edit. Gent, Amsterdam, 1966.

In hoc fasciculo quorundam professorum opiniones de quaestionibus ad linguae latinae et graecae rationem didacticam fovendam exspectantibus lector inveniet. In articulis et regulae et methodi et consilia, nostris diebus aptata, ut linguas classicas melius alumni ediscant vulgantur. Haec omnia professoribus his rebus vacantibus maxime inservire possunt.

PLANCKE, RL. - VEREMANS. — *Documentatio didactica classica* (VI), 20 p. Edit. Gent, Belgica, 1966.

In hoc fasciculo praecipua opera quae ad classicorum humanitatem fovendam pertinent professores et alumni invenient. In has partes dividitur fasciculus: I. Bibliographiam:

a) libri et commentationes; b) commentariorum periodicorum index seu compendium; II. Auxilia "audiovisualia". Hunc indicem omnibus maxime utilem putamus.

BERGUIN, H. - HANO, A. - PETIOT, G. - PLANCKE, G. — *Grammaire latine*, p. 249, Edit. A. Hatien. Paris, 1964.

Hoc opere, cui alia duo praecesserunt volumina in quibus Romanorum linguae elementa explicabantur, de morphologia et syntaxi pertractatur ut alumni difficultates e textibus auctorum prodeuntes solvere possint. Haec in volumine notanda sunt: syntaxis a morphologia disjungitur; in syntaxeos enodatione exempla regularum explanationi antecedunt; in libri fine ut alumni grammaticam antea explanatam melius mente retineant verborum et regularum invenitur summa. Opus plane utilitate distinguitur. Colorum varietas in explanatione magistris et discipulis maximae est utilitati.

Optimum opus esse censemus; quare auctoribus laudes dicamus atque prosperum eventum eis exoptamus.

BARABINO, G. — *Il panegirico dell'Imperatore Giuliano*, pag. 117. Edit. Università di Genova, Genova, 1965.

In hoc volumine orationem "Gratiarum actio Mamertini de consulatu suo Juliano imperatori" probat explicatque J. Barbarino auctor. Nobis quaedam dicit et de pluribus laudatoribus qui in Gallia saec. IV vixerunt et de Juliani imperatoris ingenio virtuteque ejusque persona. In longa praefatione haec agitantur quaestiones: et temporum condiciones quibus haec oratio probata est et Mamertini persona, humanitas, ejus in Gallia studia, ejusque rei publicae disciplina

propriaque orationis lingua et "Gratiarum actionis" fontes.

A pag. 74 usque ad 117 "Gratiarum actionis" textum et in linguam italicam versionem invenies. Nominum indice concluditur liber.

ALLOTT, M. — *Los novelistas y la novela*, pag. 401, Edit. Seix Barral, Barcelona, 1966.

Tantum scriptor de narrandi quaestionibus aperte fuseque loqui potest. In hoc enim volumine quaedam narratorum opiniones colliguntur ut quae conficiendae narrationis ratio sit nobis dicant. Omnes igitur cum his ad narrandi genus vere spectantibus proprietatibus conveniunt.

"Quorundam vero hujus temporis narratorum desunt opiniones quia spatium parvum erat", nobis in praefatione dicit auctor. Nomina quae in hujus libri paginis apparent tantum sunt narratorum, Annae Barbauld nomine excepto.

Opus magni pretii maximaeque narrationis cultoribus utilitatis esse aestimamus. Quam ob rem auctori maximas ex toto corde habemus laudes quoniam multum laboravit eique prosperum eventum exoptamus.

GIL, J. - BLANCO FREIJEIRO, A. - PASTOR, A. — *Tres lecciones sobre Homero*, 109 pp. 1965.

HUGH LLOYD-JONES, FERNÁNDEZ-GALINDO, M. - RODRÍGUEZ ADRA-DOS, F. - TOVAR, A. — *Estudios sobre la tragedia griega*, 138 pp. 1966.

BLANCO FREIJEIRO, A. — *Apuntes de la vida romana en la obra de Séneca*, 72 pp. Edit. Taurus, Madrid, 1966.

Collectione "Fundación Pastor" dicta humaniores litteras fovere in-

tenditur; qua vero de causa in unoquoque hujus collectionis fasciculo de his litteris quaestio agitur et evolvi-tur.

In primo quidem fasciculo, quem lectoribus hic exhibemus, de Homero agitur. In eo tria colloquia a claris in humanioribus litteris edocendis professoribus habita colliguntur.

In secundo autem fasciculo in quattuor colloquia diviso, de Graecorum tragoedia, agitur. Haec agitantur: de antiquissima Graecorum tragoedia, id est, de Pratina, de Phrynicho; de duobus primis "Agamemnonis" choris; de Euripidis "Helena".

In tertio tandem fasciculo, Senecae memoriae dicato, de Romanorum vita—de patriciorum domibus, de matronis, de epulis, de bibliotheca et de aliis similibus— agitur. Haec omnia textibus ex Senecae operibus selectis probantur atque componuntur.

GONTHIER, D. A. — *El drama psicológico del Quijote*, 213 pp. Edit. Studium, Madrid, 1962.

Hoc volumen quod lectoribus offerimus ad lauream obtinendam in matritensi Universitate anno 1957 professoribus auctor detulit. Quamquam quaestio in libro "Quijote" dicto agitata ab autoribus valde explanata est, tamen D. Gonthier auctor nobis de ea lucem iterum promit. Quam ob rem Gonthier novam sententiam, id est, de psychologico "Quijote" dramate, exprimit et sic ab aliis auctoribus differt atque de hominis natura et ingenio ut in libro "Quijote" dicto est, commentatur. Optimum quidem inter plura de eadem quaestione jam scripta hunc libellum esse censemus atque utilem ad clarum hispanarum saec. XVII litterarum virum illum. Michaelem de Cervantes appellatum, cognoscendum.

CASTELLET, J. M. — *Un cuarto de siglo de poesía española*, 554 pp. Edit. Seix Barral, Barcelona, 1966.

In opere, quod volumini "Veinte años de poesía española (1939-1959)" anno 1960 jam edito est simile, ultimorum nomina poetarum eorumque carmina quinque ultimis annis vulgata continentur. In rebus antea expositis et in carminibus antea selectis quaedam in auctoris cogitandi ratione et humanitate significantia adnotantur. J. Castellet omnibus nobis ab anno 1939 usque ad nostros dies de hispanicis poeticis litteris historiae prospectum vult offerre; qua enim de causa, ut in superiore volumine, carmina juxta annorum seriem disperitiuntur ut poeticarum litterarum progressus melius illustrari possit. Haec in carminibus disponendis ratio Josephi Castellet ut specialem poetarum vitam eorumque carmina explicandi notionem intellegamus nos adjuvat. In ampla praefatione litterarum poeticarum nostris diebus terminos definiri non posse dicit, nisi majores nostri annis 1892-1902 nati memorentur. Quomodo ii novissimi poetae et litteras invenerint et majoribus poetis, in primis Unamuno, Machado, et J. R. Jiménez, restiterint et poesim figuris rhetoricis nudatam reliquerint explicatur. Et carminum ratione chronologica disperditorum et poetarum nominum indice concluditur opus; sed his indicibus de unoquoque poeta ejusque operibus antecedunt notae.

FOERSTER, F. — *Temas capitales de la educación*, 237 pp. Edit. Herder, Barcelona, 1963.

In hoc volumine et aliae praecipuae ex tribus ipsius auctoris libris quaestiones paedagogiam expectantes colliguntur et aliae magni momenti nostris diebus adduntur, ut paedagogi

pueros melius educare possint. Claritas es subtilitas in quaestionibus enolandis maxime notandae sunt; qua de causa opus a parentibus, magistris et ipsis adolescentibus utiliter legi potest.

Hoc opus signum est quo modo Foerster auctor paedagogiam intellegat plurimarumque opinionum est summa, quoniam opiniones quae ab una tantum parte rem attingunt praetermittuntur. Minime placea ei sententia, nostris diebus fuse vulgata, eorum qui hominum imbecillitates animi infirmitatem esse affirmant atque eas morum regulis minime sese opponere. Ideo magistros auctor rogat firmatae auctoritatis notioni ethicaeque regulis adhaerere ut pueros bene erudiant.

GUITTARD, L. — *Pedagogia religiosa de los adolescentes*, 239 pp. Edit. Studium, Madrid, 1961.

Palaestrae Latinae lectoribus hoc volumen multum perplacet offerre quod in eo ad adolescentes erudiendos magni praetii elementa inveniuntur. Auctor, in rebus pedagogicis notissimus atque in adolescentibus erudiendis valde expertus, magistros his quaestionibus vacantes tantum admonere intendit. Omnia quae in volumine dicuntur ex adolescentium responsis collecta et numerata sunt; hac de causa adolescentium propria subtiliter explicantur atque ad eorum difficultates solvendas ex primis eorum aetatis annis usque ad primos Universitatis cursus exortas, elementa dantur. L. Guittard omnes magni momenti in religiosa paedagogia quaestiones evolvit atque de eis aperte, fuseque loquitur. Quam ob rem adolescentium magistri, qui hoc volumen legant, multas in pueris erudiendis quaestiones facile solvent atque ad multa mutanda impellentur. Hoc volumen magnae

utilitati magistris paedagogisque esse eisque librum necessarium futurum esse censemus. Ideo auctorem maxime laudamus ejusque laborem celebramus.

BERGERON, M. — *Psicología de la primera infancia*, 331 pp. Edit. Luis Miracle, Barcelona, 1966.

Hac collectione "Paideia" nominata de quaestionibus pueros exspectantibus nobis lucem promere intenditur. In unoquoque hujus collectionis volumine de peculiari magni momenti in pueris educandis quaestione, recentibus opinionibus sequentibus, agitur. Haec notanda: omnia quae in voluminibus dicuntur medicis, animorum ductoribus, puerorum ducibus et paedagogis aptantur; hac enim de causa quae de scriptis inferuntur magnae parentibus et magistris ad puerorum difficultates solvendas utilitati sunt.

Bergeron auctor opere magni momenti nostris diebus quaestiones ad pueros ab ortu usque ad tres primos aetatis annos educandos exspectantes, explicare intendit. Hoc aetatis spatium puerorum ducum paedagogorumque multum interest cognoscere, quod in eo puer omnino integreque, in corpore et animo, crescit, atque eis ad hominis originem cognoscendum clavis datur. Qua de causa omnibus hunc librum commendamus, maxime vero parentibus et magistris, atque eum maximae utilitati eis esse censemus, quod in eo optima ad pueros bene erudiendos elementa facilia intellectu inveniuntur.

MALY, E. H. STD. — *Epístolas de Santiago, Judas y Pedro*, 119 p. Edit. Sal Terrae, Santander, 1966.

Opus quod lectoribus offerimus est XIII volumen collectionis "Bibliam agnosce". Haec omnia opera praeclari professores apparatus critico hujus

temporis juvante, confecerunt omnibusque lectoribus aptaverunt.

Hac collectione ut omnes Dei Verbum intellegant vivantque intenditur. Quam ob rem eam maxime utilitati lectoribus esse dijudicamus quia in opere multa ad Dei Verbum degustandum inveniuntur.

KLEIN, L. — *Discusión sobre la Biblia*, 166 p. Edit. Herder, 1967.

Domus Editrix Herder, ab omnibus jam nota, lectoribus valde utile ad Sacras Litteras agnoscendas vulgat opus in quo praecipuae scientiae Biblicae quaestiones a praeclaris scriptoribus, —id est, Rahner, Schnakenburg, Vögtle— summantim enodantur. Auctores his difficultatibus a multis habitis: quomodo "traditio catholica" investigationi historicae accommodetur, et quomodo investigatio historica se habeat cum fide catholica, respondere intendunt.

Haec nobis tantum restat dicere: quaestiones juxta investigationes historicas hujus temporis communemque Sacrarum Litterarum exploratorum sententiam evolvuntur

SPIAZZI, R. — *Pequeña teología de la caridad*, 188 pp. Edit. Studium, Madrid, 1965.

Religio a Christo nuntiata charitate ab omnibus aliis religionibus distinguitur. Ideoque omnes, hanc religionem profitentes, charitatem, Dei auxilio, semper augere debent. In his libelli paginis R. Spiazzi nobis theologiam de charitate summam donat brevem. Ab hujus temporis hominibus haec, quae in libello dicuntur, peramplius cognosci et cogitari debere, plane affirmat autor. Christifidelibus omnibus hunc libellum esse utilem dijudicamus.

MAHR, F. — *Grados hacia la luz*, 266 pp. Edit. Studium, Madrid, 1963.

F. Mahr auctor in juvenum coetu "Asociación Juvenil de la Nueva Alemania" appellato animorum dux et magister de quaestionibus ad juvenes informandos spectantibus aperte fusque loquitur. Qua de causa opus maximae utilitati est juvenibus qui se instituere, educare et formare cupiunt ut veluti viri probi postea vivere sciant societatique utiles esse possint. Haec notanda: in doctrina exponenda perspicuitas et subtilitas atque lectio cum jucunditate. "Ab omnibus nobis librum juvenibus necessarium aestimari debere" dicit Oscar Neisinger.

BAIGORRI Y AZANZA, L. — *Caminos de luz*, 531 pp. Edit. Studium, Madrid, 1964.

In hoc volumine adolescentibus elementa ad religionem catholicam commentandam dantur. Aloisius Baigorri auctor, in adolescentium quaestionibus expertus quoniam per multos annos cum eis laboravit, puellas, quae collegium relinquunt, adjuvare easque de difficultatibus admonere intendit. Haec maxime laudantur: loquendi elegantia, in veritate exponenda suavitas atque doctrinae perspicuitas. Nos quoque opus perentibus et aludescantium ductoribus libenter commendamus.

MEYER, W. — *¿Cuándo será mi vida perfecta?* 110 pp. Edit. Studium, Madrid, 1964.

Omnes Christifideles ad mores perficiendos atque religionis promissa adquirenda vehementer intendimus quia in eis gaudium credimus inveniri. Hic fasciculus nobis ut Christifideles in

perfectione crescant clavem dat. In eo, imprimis sanctimonialibus dicato, XXV salmi, a 124 usque in 150, adnotantur ab auctore atque ex eorum doctrina fasciculus componitur. Libellum laudamus atque sanctimonialium ductoribus maxime commendamus.

TREVIÑO, J. G. — *Jesús, secreto de la santidad*, 139 pp. Edit. Studium, Madrid, 1964.

Hujus voluminis finis est Christifidelibus Christum ut totius eorum vitae medium exhibere. Christus in Ecclesia catholica sanctitatis principium et finis est. Qua de causa Christianismus cognitio mentalis minime est, sed potius Christi Persona, qui totam fidelium vitam illuminat eorumque animos ad se convertit. Ideo hunc librum ut lectores magna Christianismi vim et pondus penitus cognoscant utilem esse censemus.

PHILIPPE, M. D. — *El misterio de María*, 295 pp. Edit. Studium, Madrid, 1964.

Omnes Christifideles Virginis Mariae rosarium magni semper habuerunt atque a multis iterum atque iterum recitatum est. In hoc volumine probi et pii Christifideles breves optimasque ad rosarium bene recitandum adnotationes invenient, qua auctor Virginis Mariae mysteria tantum explicat. Quomodo nos caritate crescere et Christum sequi debeamus, Virginis Mariae vita nobis manifestatur. Hac enim de causa Virginis vita optimum est signum ut in perfectione adquirenda laboremus. Libellum omnibus quidem utilitati futurum esse censemus atque in Christifidelibus pietatem erga Virginem Matrem aucturum.

PRUDENCE, C. — *El arte de elegir tu vocación*, 94 pp. Edit. Studium, Madrid, 1963.

Hic libellus omnibus adolescentibus, qui ad officium aliquod in vita exercendum vocati sunt, dicatur. Optima eis consilia dantur ut veluti probi homines nunc se gerant et vitae difficultates in posterum solvere sciant. Haec laudamus: in rebus agitandis claritatem et perspicuitatem atque scribendi rationem adolescentibus valde aptam. Omnibus adolescentibus libenter commendamus opus.

MAHR, F. — *En el umbral de la vida*, 170 pp. Edit. Studium, Madrid, 1963.

F. Mahr auctor, clarus in pueris erudiendis dux et magister, juvenes intime cognoscit quia cum illis permultum gessit. Quae juvenes cogitent, animo fingant, cupiant et intendant aperte cognoscit. In quinque capitibus omnia, quae ad juvenes educandos spectant, ab auctore pertractantur. Non solum juvenibus sed etiam parentibus et paedagogis libellum maxime commendamus quod in eo res optimas atque magni praetii omnes inveniunt.

VEGA, D. — *La religiosa ideal*, 258 pp. Edit. Studium, Madrid, 1964.

Quamquam D. Vega auctor, a lectoribus hispanicis valde notus, de quaestionibus jam fusius agitatis loquitur, tamen opus sanctimonialibus, quae in perfectionem acquirendam penitus incumbunt, permultum inservire censemus. Haec notamus: quaestiones diverse, personaliter jucundeque pertractantur. Nobis quaedam de vir-

tutibus acquirendis deque diverso monialium "apostolatu" in hoc volumine dicuntur.

l'en, los hombre de hoy te esperan. 68 pp. Edit. Studium, Madrid, 1962.

Auctori juvenibus, qui monachi esse cupiunt, hunc parvum libellum multum perplacet offerre. In eo ex litteris ab ipsis juvenibus scriptis tantum fit summa. De monachorum vita et Congregationis a Sancto Hieronymo conditae historia minime illustratur, sed potius omnes, qui de monachorum vita quaedam scire optant, ad eam recte rogantur atque compelluntur.

SEVERYNS, A. — *Lex dieux d'Homère*, 143 pp. Edit. Presses Universitaires de France, Paris, 1966.

A. Severyns auctor, in litteris humanioribus valde versatus, quae de diis Homerus cogitaverit iterum considerare voluit atque in hoc volumine nobis omnibus cogitata tradere. Dii vero, inquit auctor, ab hominum rebus depelli nequeunt nisi cum mortalibus earumdem participes sunt. Quomodo dii secum et cum hominibus se habeant, pertractat auctor, recentibus utens investigationibus atque novas quaestiones ab auctoribus excitas mire illustrans. In his quoque pagellis quo amore Homerum prosequatur auctor et quae de rebus humanis, ut de eis loqui possit, sentire debeat scriptor, nobis aperte manifestatur. Auctorem laudamus quod quaestiones, quae nostris diebus in oblivione fuerunt, ausus est interpretari. Haec demum notanda: liber lectu jucundus est atque plurimae magni praetii notae, quibus hic liber concluditur, inveniuntur.

J. L. LATORRE, C. M. F.

VIAN, QUINTUS DE SMYRNE. — *La suite d'Homere*, tome II, livres V-IX, texte établi et traduit, 222 pp. Edit. Les Belles Lettres, Paris, 1966.

Volumen hoc, Quinti Smyrnenensis operibus dicatum, in quinque libros dividitur. Omnes critici hos libros Homeri opus sequi affirmant. Haec in libris narrantur: qua de causa Graecorum classes in iudicium vocatae sint et Ajax sit mortuus (liber V); qua Eurypyles in Trojam venerit et quo modo a civibus acceptus sit (liber VI); quibus de causis Neoptolomeus necem bellantibus paraverit (liber VII) et Neoptolomeus pugnans Eurypylem necaverit (liber VIII) et Philoctetus venerit Trojam (liber IX). Notandum est tamen: libri VI, VII, VIII et IX inter se mire conjunguntur atque unum poëma epicum componunt. Quo modo res gestae in his quattuor libris narratae acciderint, in sexti libri praefatione nobis elencum dat auctor. De unoquoque libro nobis brevem dat auctor notitiam. Opus notarum concluditur indice.

LASSERRE F. STRABON. — *Géographie*, livres III-IV, tome II, texte établi et traduit 242 pp. Edit. Les Belles Lettres, Paris, 1966.

Hoc volumen, in quo tertii et quarti Strabonis librorum in linguam gallicam versio continetur, alio volumini, primo et secundo libro dicato, praecedit. Ideo si in eo quaedam nobis intellectu difficilia sunt, minime mirari debemus quia multa jam in superiori volumine explanata nunc praetermittit auctor. Duobus conflatur partibus volumen; in alia paeninsula Iberica et insulae finitimae describuntur. Ad haec facienda ratione ab Hecateto miletensi saec. V primum adhibita et postea a

viris geographicarum rerum studiosis usus est. In gentibus distribuendis auctor ante oculos geographicam habuit tabulam, quam antequam Romani populos invaderent habebant homines et cognoscebant; in alia vero Iberia transalpina describitur. Haec enim Iberia constat regionibus quae sunt inter Pyrenaeos montes, maris medii oram et Alpes montes et inter Rhodanum flumen ac maris Atlantici oram. In gentibus distribuendis eadem ratione antea memorata usus est auctor. Perplura ex scriptis Artemidori, Polybii et Asinii Polliensis et etiam ex scriptis Posidonii sumpsit. Volumen indice locorum qui in libris memorantur perficitur atque ipsi breviter describuntur. Tribus tabulis coloribus abundantibus clauditur opus.

COURTONE Y. SAINT BASILE. — *Lettres*, tome III, texte établi et traduit, 243 pp. Edit. Les Belles Lettres, Paris, 1966.

En volumen in quo CXXXV litterae a sancto Basilio scriptae colliguntur. In omnibus his litteris et episcoporum difficultates solvuntur et consilia eis dantur. Sancti Basillii versio in gallicum sermonem ab Y. Courtonne accurate fit. Quae de quaestionibus, quibus tunc episcoporum animi maxime excitabantur et turbabantur, Basilius sentiret, ex his scriptis eruere possumus. Omnes scimus Basilium ab omnibus Christifidelibus clarum virum semper habitum esse; qua enim de causa ejus scripta in Ecclesia permultum considerata sunt. Et nostris quoque diebus, nam quoniam scripta horum clarorum virorum, qui pristinis Ecclesiae diebus virtute et litteris emiuerunt, valde explicantur et in publicum vulgantur, amore illos prosequi debemus atque eorum quam plurima scripta perlegere.

SOUILHE, J. ÉPICTÈTE. — *Entretiens, IV livre*, texte établi et traduit, 95 pp. Edit. Les Belles Lettres, Paris, 1965.

In hoc volumine aliquot Epicteti colloquia colliguntur atque haec quaestiones in primis agitantur: quid est "libertas" et voluptas; de viris qui vitam quietam quaerunt atque de viris qui disputando gaudent et de viris erga quos pietatem habere non possumus; a quibus rebus nos abstinere debemus atque ea quae nostra maxime intersunt; quid est decor et animi attentio, et alia similia. Haec nobis valde placuerunt: versio accuratissima et textus criticus emendatissimus. Quam ob rem hoc volumen superiora volumina jam recensita minime dedecet.

O'BRIEN, R. J. — *A descriptive Grammar of ecclesiastical latin based on modern structural Analysis*, 273 pp. Edit. Loyola University Press, Chicago, 1965.

Hoc opus, quod ad lauream obtinendam in Universitate Georgetown professoribus primum detulit auctor, titulo "A descriptive Grammar of ecclesiastical Latin" nunc vulgatur lectoribus. Scribendi elementa — nomina, adjectiva, propositiones, cet. — ab auctore bene explicantur. Haec omnia maxime laudanda sunt atque scire nostra maxime interest. Haec quaestiones ample et subtiliter evolvuntur; quae de causa opus lectu difficile est. A peritis, qui his rebus vacant, tantum bene intellegi potest atque in eo multa et optima certe invenient.

CLAUSEN, W. V. - GOODYEAR, F. R. D. — *Appendix vergiliana*, 185 pp. Edit. Oxford, London, 1966.

In sectione Palaestrae Latinae libris dicata optima volumina Oxoniensis

Universitatis jam vulgavimus. Quanta cura periti diversas partes hujus voluminis paraverint, valde notandum est atque omnes, si hoc volumen attente legunt, facile cognoscere possunt. Singuli auctores, qui volumen confecerunt, cuncta carmina, quae in hoc volumine continentur, legerunt atque de difficultatibus sententias inter se communicarunt. Cum hoc volumen auctores pararunt, textuum emendationes, ab aliis investigatoribus repertas et vulgatas, ante oculos habuerunt. Carminum exhibuimus ordinem qui in catalogo Nurbacensi saec. IX conscripto reperitur. Poematia quoque "Ausoniana" Vergilio olim perperam attributa Appendici appendiculae loco subjungere placuit.

BAGNANI, G. — *Arbiter of Elegance*, 91 pp. Edit. Toronto Press, 1958, Ontario, Canada, 1958.

Volumine, quod lectoribus offerimus, Petronii vitam et opera explicare intenditur. Quamquam ad opus cognoscendum auctorem relinquere possumus quoniam in scriptis auctoris persona plene non manifestatur, tamen Petronii opus "Satiricon" dictum excipimus, quod commentatores diverse de eo judicarunt. Bagnani G. de his quaestionibus, ab auctoribus fusius agitatae, nobis novam lucem promere vult et qua aetate et qua de causa et a quo auctore opus "Satiricon" dictum scriptum sit; quae auctoris mens et ingenium et scribendi elegantia fuerit. Hoc opus sex completur disputationibus de quaestionibus Petronii operi annexis, inter quas alia de sermone latino populari et alia de propria Ludi et Satirici lingua. Subtilitas in rebus investigandis valde notanda atque laudanda est quod liber notis in unaquaque pagina abundat. Ideo opus optimum atque inter opera adhuc jam vulgata praestantissimum esse censemus.

BIBLIOGRAPHIA

LEWIS, D. C. — *The Eclogues, Georgics and Aeneid of Virgil*, 529 pp. Edit. Oxford, London, 1966.

Auctor, qui litteris tradendis vacat atque versus componit, in uno volumine omnes in anglicum sermonem versiones Vergilii operum per aliquot annos in publicum jam vulgatas collegit. Afirmat auctor se singulorum verborum versionem maluisse ut textus lectoribus magis perspicuus esset, atque se in fragmentis praecipuis quaedam, quae ad vergiliana verba melius degustanda atque intellegenda sibi viderentur necessaria, addidisse. Ad Eclogas convertendas popularibus Anglicorum carminibus, quae de similibus rebus agunt, usus est. Haec versio ab omnibus maxime laudatur atque opus in nostrorum dierum poesi magnopere habet pondus.

FORREST, W. G. — *La Democracia Griega*, 251 pp. Edit. Guadarrama, Madrid, 1966.

Graeci viri in saec. VIII a Chr. n. in dominorum potestate omnino erant; at saec. V, saltem Athenis, viri liberi a dominis considerabantur deque societatem regendi ratione iudicare poterant. In hoc volumine W. G. Forrest quibus de causis Graeci de huius modi homine senserint; quo modo Graeciae fines longe lateque patuerint; quo pacto factiosi viri jugum, quod eos opprimebat, deposuerint; quis legum poenas applicare deberet, nobis declarat. In his omnibus explicandis, de quaestionibus, quas pristini Graeci maxime habuerunt, pertractat auctor atque quo modo litterae et res publicas ad-

ministrandi scientia se habeant nobis aperte indicat. Quas noscere quaestiones nostra maxime interest. Haec bene notanda: cum de hac sociali mutatione loquitur auctor, quam partem cives habuerint explicat atque clarorum docum res gestas, quas fecerunt, praetermittit, quod de pristinis graecis viris nova tradere vult lectoribus ut ii eorum vitam melius comprehendant deque eorum moribus iudicare diverse possint.

GIL, L. — *Los antiguos y la inspiración poética*, 185 pp. Edit. Guadarrama, Madrid, 1967.

En opus in poesim incumbentibus valde utile. In eo de quaestionibus ad pristinam Graecorum poesim spectantibus quaedam ab auctore dicuntur. Has tantum recordamus quaestiones: verborum usum a poetis adhibitum; poetarum exstasim et alienationem; amorem et poesim, et alia similia. Quam ob rem utilissimum librum esse putamus ut pristinos Graeciae poetas lectores cognoscant atque quibus rebus constaret poesis sciant.

BYL, S. — *Tableau synoptique des principales racines grecques*, 41 pp. Edit. H. Dessain, 1966.

Quae vocum origo fuerit et qua ratione lingua mente melius retineatur, alumnis hic fasciculus ostendere multumque inservire potest. En parvum fasciculum valde utilem discipulis in linguam graecam incumbentibus. In eo de 400 vocum fontibus tantum loquitur; quid unaquaque vocum radix significet, diversis exemplis illustratur.

J. L. LATORRE, C. M. F.

LIBRI QUI INSCRIBUNTUR "TEXTOS PALAESTRA"

venales prostant apud officinam librariam EDITORIAL CLARET

LAURIA, 5

BARCELONA (10)

JIMÉNEZ, Grammatica Latina	ptis.	60
" Repetitorium	"	60
" De Orthographia latina (altera editio)	"	20
" Index Orthographicus	"	5
PLANQUE-PLANAS, Gramática Griega (altera editio) ...	"	90

"TEXTUS" ANNOTATIONIBUS PRAEDITI

JIMÉNEZ, <i>Historiae Sacrae compendium</i> (5 edit.)	ptis.	10
" <i>Epitome Historiae Graecae</i> (6 edit.)	"	12
* RAMOS, <i>Corneli Nepotis Vitae</i>	"	10
* MIR, <i>Ciceronis epistulae selectae</i> (2 edit.)	"	12
* JIMÉNEZ, <i>Ciceronis pro Archia poeta</i> (2 edit.)	"	10
" <i>Ciceronis in Catilinam</i> (2 edit.)	"	10
" <i>Caesaris, De bello civili</i>	"	10
RAMOS, <i>Ciceronis pro Q. Ligario oratio</i>	"	10
MARTIJA, <i>Vergili Aeneidos</i> (lib. II, 2 edit.)	"	12
MARTIJA, <i>Prudenti Carmina selecta</i> (2 edit.)	"	10
SARMIENTO, <i>Martialis Epigrammata</i>	"	8
* ZULOAGA, <i>Horati Carmina Selecta</i>	"	12
RUIZ, <i>Homeri Odyssea</i> (lib. I)	"	14
RAMOS, <i>Xenophontis Anabasis</i>	"	12

Stellula distincti, etiam sine annotationibus prostant venales, pesetis 6

Fundació Bernat Metge

SCRIPTORUM CLASSICORUM BIBLIOTHECA CATALAUNICA

Veterum Graecorum et Romanorum textuum editiones brevi apparatu critico instructae, necnon praefationibus notisque translationem catalaunicam ex adverso adjectam illustrantibus. Volumina nuper emissa:

- 161 Lluçia - Obres (vol. I)
- 162 Suetoni - Vides dels dotze Cèsars (vol. I)
- 163 Xenofont - Opuscles (vol. I)
- 164 Xenofont d'Efes - Efesiaques

Subnotationes mittantur ad:

EDITORIAL ALPHA, S. A.

Via Layetana, 30 - BARCELONA